BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 F
28

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



Boſsi in. f. 1776.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

UBALDI CASSINA

IN PARMENSI LYCEO

MORALIS PHILOSOPHIAE

REGII PROFESSORIS

DE

MORALI DISCIPLINA

HUMANAE SOCIETATIS

LIBRI DUO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARMAE

EX TYPOGRAPHIA REGIA

M. DCC. LXXVIII.

CUM APPROBATIONE.

Diſcite . . . .

Quid ſumus & quidnam victuri gignimur ; ordo
Quis datus, aut metae qua mollis flexus, & unde.

Perſ. Sat. III.

IGNATIO BONCOMPAGNIO
LUDOVISIO
CARDINALI AMPLISSIMO,
ET
PROVINCIAE BONONIENSIS
LEGATO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

UBALDUS CASSINA
FELICITATEM.

En prodit in lucem poſt varios caſus erepta e plutei pulvere ac tineis, ab amicis exſpectata diu,

plena adhuc timoribus opella haec mea felicibus auſpiciis tuis ſacra, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut ſuſcepto a Te patrocinio, velut clipeo quodam, contra deceptorum hominum tela obtegat ſe ac tueatur. Sic enim res ſe habet, ut conturbet aliquos inviſum nomen Philoſophiae, & ferme periniquo patiantur animo qui ſe ad haec ſtudia convertunt; quaſi inimica ſocietati ars vitae ſit, ingenii corruptrix, expultrixque virtutis. Non ego eos vitupero ſpeculator licet venatorque moralis naturae, nec plane reprehendo his praeſertim moribus atque temporibus, quibus omnem philoſophandi rationem, qua & Religioni emo-*

lumentum ac fructus affertur maximus, & ad victricem ac temporis filiam veritatem itur ſuper ſtrata monſtroſarum vafrarumque opinionum cadavera; ita invertunt plurimi ac torquent, ut ad nequitiam & impietatem abducat, de eaque quaſi de peſſundata veritate conqueri debeamus. Haec eſſet tamen me auctore obiurgandae ſcientiae cauſſa iuſtiſſima, ſi Religionem veritatemque frangeret ipſa per ſe ac labefactaret: ſed cur Philoſophiae tribuuntur quae ſunt quorumdam vitia Philoſophorum? Perpurgatus eſt alibi is locus; neque heic argumenta quaerenda, quibus plene ſit cumulateque perfectus. Ad Te praeterea

tamquam in aram confugio; & volo ut tuo ſaltim exemplo impulſi reſipiſcant pii timidique reprehenſores illi, tuaque tandem auctoritate, quae ſumma eſſe debet, moveantur. Nam poſtquam perlegiſti omnia, ac luſtraſti animo quae diſſerui, ad me datis honorificentiſſimis ac humaniſſimis litteris aperte faſſus es nihil inveniſſe Te, quod non doctrinae integritatem ſapiat, gravitatemque redoleat praeceptorum. Qui luculentior fingi auctor ac teſtis poteſt, ut ii maculam temere inuſtam eſſe intelligant Morum Philoſophiae? Cur non animos ſumat atque etiam geſtiat Diſciplina haec mea, quam ſplendidum

illud iudicium tuum fulcit mirifice ac ornat?

De me hactenus. De Te autem quid dicam, PRINCEPS EMINENTISSIME? *Efferunt ſe ac oſtendunt lumen ſuum ampliſſimae ac nobiliſſimae Familiae tuae decora, affinitates cognationeſque praeclariſſimae. Efferunt ſe conſertae multis ab hinc ſaeculis contextaeque illuſtrium Maiorum imagines aptiſſimae ad memoriam poſteritatemque prodendam. Sed alius aliena haec laudet; Moralis Philoſophus non laudet. Acerrimum ego ingenium tuum admiror ac ſuſpicio, dexteritatem ad omnia, reconditas & interiores, graecas & latinas, pro-*

ſanas & ſacras quibus inſtrueris litteras. Magni ego in primis facio eximiam dignitatem & gloriam virtutum tuarum, quae omnium alliciunt animos, omniumque Tibi obſervantiam exiſtimationemque conciliant. Tua ſunt iſta; & mehercle digna quae commendentur ab omnibus in omne poſterum tempus. Horum aeſtimator aequiſſimus CLEMENS *XIII. piiſſimae Pontifex recordationis perdifficilem Tibi dari provinciam voluit Bononienſium paludium exſiccandarum: maximi quidem momenti opus, ex quo non ſpem modo ac votum publica felicitas; ſed voti ipſius fiduciam hauſit ac robur. Aliorum quippe fuit inaniſſimo id*

conatu experiri: perficere autem duce mathematico ſummo, Tibique & mihi cariſſimo Iohanne Andrea Boldrinio conterraneo meo ſervatum eſt Tibi, quiſquis rumpatur. Hinc iure & merito priuſquam Te optimus PIUS VI. *inter Cardinales adſciret, non daturum ſe veniam declaravit ut incepto deſiſteres poſt adeptam etiam dignitatem* (*): *quod malos tri-*

(*) Splendent in IGNATIO BONCOMPAGNIO vividum ingenium, agendi robur, ut merito ſperandum ſit, quod aemulator fiat virtutum inſignium eius propinquorum, praeſertim utriuſque GREGORII XIII. & XV., ac ALEXANDRI VII. de hac Apoſtolica ſede, ac Romana Curia optime meritorum. Atque id coniicere iam nunc poſſumus ab aſſiduo & plane feliciter impenſo ab ipſo ſtudio in exſiccatione Paludium Bononien-

ſtitia, incredibili bonos alacritate complevit. Reliquum erat ut ad politicam Bononienſium Civium moderationem advocareris, ut nullus eſſet honor tantus, qui in Te collatus, non Te ſummo deinceps honore dignum comprobaret. Itaque & Bononiae Legatus factus es ovantibus omnibus, & in hac qua fungeris Legatione, eam adhibes rationem & curam & laborem & diligentiam, ut nemini ſecundus

---

ſium permagni quidem momenti opere; quod Nos impulit, ut iampridem declararemus Nos illi veniam non daturos ut ab incepto etiam poſt adeptum Cardinalatum deſiſteret, quo magis in dies de Nobis bene mereri poſſit.

Sanctiſſimi Domini Noſtri PII *Divina Providentia Papae VI. Allocutio habita in Conſiſtorio Secreto die 13. Novemb. 1775.*

in adminiſtranda re publica videaris. Quid fuit ſane a Te inſtitutum, cuius non parens ſit educatrixque ſapientia, aut non ad ſalutem Civium, Civitatiſque ſplendorem, vitamque omnium quietam & beatam faciat? Sentit domus uniuſcuiuſque, ſentit Forum, ſentit Curia, Bononienſis Provincia tota ſentit quae tua Prudentia ſit, vel ſuum cuique tribuens, ac ſcelerum & facinorum vindex Iuſtitia. Rem omnibus notam ac manifeſtam loquor, quae una cum ſaeculis aetatibuſque hominum inveterare non poterit. Qui campus, in quo mea exſultet laudatrix oratio! Sed continet ipſa ſe gravis & iniu-

PRAELOQUIUM.

Magnus locus, Philoſophiaeque proprius is eſt qui pertinet ad mores; quique ut magnum negotium mihi, ita quoque prolixam diſputationem exhibet, ne dicam ſempiternam. Sane gentem nullam video poſt genus hominum natum neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quae principiis quibuſdam careat, quorum praeſidio vitae omnis ratio regitur, impelliturque animus in id, quod ad beate vivendum facit (*a*).

(a) At enim quum primum detecti ſunt nonnulli Groenlandiae populi, apud ipſos nec Dei notio ulla, nec nomen repertum, quo is vocaretur. (*Compend. Hiſt. Nat. Mor. & Civ. Aſiae, Africae, Americae* tom. I.) Prima haec machina non eſt

Attamen alii id turpe & iniquum iudicant quod aliis probatur, & contra: tamque varia eſt honeſtarum rerum ac turpium notio, tantaque occurrit legenti hiſtorias viciſſitudinum humanarum principiorum moralium diverſitas ac diſſenſio (*a*); ut prima ſpecie, an ſit aliquid turpe & honeſtum ex ſe ſe, aut quibus rebus id conficiatur; difficile quaerere, definire difficilius vel impoſſibile videatur. Id quum mecum ipſe attentius cogito, non aliam rei huius cauſſam invenio praeter hanc, quam & fuiſſe ſemper & perſeveraturam credo in omne poſterum tempus. Inficiunt nempe veri-

---

adeo inſtructa, ut ad eam deturbandam acris futura eſſe debeat orationis vis. Si enim concederem iſta: num idcirco probares eos caruiſſe ἀξιώμάτοις, quae ad actionem referuntur? Minime gentium.

(a) Lockius *Eſſai Phil.* liv. I. c. II., Grotius *De Verit. Chriſt. Relig.* lib. II., Hubnerus *Eſſai ſur l'Hiſtoire du Droit Naturel* tom. I. §. II., alii.

tatem, quae ſimplex eſſe debet, eamque miſcent ac temperant nutrix magiſter ſcena leges ſuperſtitio permotiones animi, ad vitia conſentiens multitudo, exempla plena improbitatis, & ſiquid eſt huiuſmodi: quo fit ita reſtingui parvulos humanae rationis igniculos, ut nuſquam naturae lumen plene appareat, a naturaque ipſa deſciſcatur *(a)*. Nec rudis ſolum popelli haec propria: nam in ſapientes etiam viros cadunt. Intuere, quaeſo, eos quorum doctrina longe lateque fluxit, & hanc ampliſſimam omnium

---

(a) Accedit quod pronunciata moralia quum omnes attingant ad omneſque pertineant, & Copa, & Cetarius, & Sutor, & hebetior quiſque ſibi aſſumat ſuoque quaſi iure vindicet de iis exercere iudicia; & Iove aequo ſe iudicare garriat, tametſi ex ignorantia aut ex permotione aliqua natam iniuſtam vel turpem ſententiam contra Sapientum mentem tueatur. Quod ad perennitatem errorum confert vel maxime.

artium bene vivendi diſciplinam literis perſecuti ſunt: quid aliud in animum induces tuum, ſi aequiſſimus eſſe velis aeſtimator & iudex? Quae enim Pythagoras docuit, qui primus auctore Ariſtotele (*a*) de virtute diſſeruit; & turpis ſuperſtitio & mutuata a Sacerdotibus Aegypti ridicula myſteria commacularunt. Divinum neſcio quem furorem redolent, & delicatiſſimae ordinataeque φαντασίας ſomnium plurima Platonis placita; tametſi eum dicat *philoſophorum Deum* Cicero, eiuſque libri & magna cura ſtudioque elaborati poſterorum non examinatione modo expenſi ſint, verum etiam conſenſione probati. Quid de Ariſtippo, quid de Epicuri auditoribus dicam, qui & foediſſima quaeque procaces admittebant, & adeo deiecerunt nos proſtraveruntque, ut pares ſimileſque

(a) *Magnor. Mor.* L. I. c. I.

ferme fecerint brutis? De Peripateticis quid dicam, quorum nugax valde Philoſophia eſt, & litibus ſerendis accommodata? Stoici gens elata & ſuperba, quaſi fungi eſſemus omnes, eam felicitatis ſpeciem humanaeque virtutis χείμαιραν finxerunt, quae a natura datam ſentiendi vim ſubvertit, cuique ſola aura velificatur hominum delirorum. Taceo Carneadis Academiam ſophiſmatum plenam, plenam fallacium concluſiuncularum, quibus ſoli ſapientiae ſycophantae & circulatores delectantur. Taceo vacillantem gregem Scepticorum, qui iugi illa ſententiarum paralyſi & invidiam in literas concitant & tollunt tranquillitatem animi & officia peſſundant omnia, quorum cuſtodia privata aut publica felicitas continetur. Num expers errorum Cicero, tametſi ex plurium ſectarum fontibus iudicio arbitrioque ſuo

hauſerit multa & gravia & utilia, quae nobis accurate copioſeque diſputata reliquit (*a*)? Erro & vagor latius: nolo enim aut Moralis Philoſophiae hiſtoriam ſcribere, aut ſubiicere legentium oculis vetera errata omnia diſſidentium Philoſophorum. Eo ſpectat oratio ut qui aliquantulum defigat animum & intendat in illa quae tetigi; det tandem & concludat alterutram ex cauſſis quas poſui, quaſi praeſtigia & captiones quaſdam a veritate ſapientes etiam viros depuliſſe.

Satis multa de antiquis. Non ne putares poſt illos veteres tot ſaeculis

---

(a) Hos omnes, qui de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quaeſiverunt, a quibuſque vita hominum inſtructa eſt, & utiles & pulcherrimas veritates pervidiſſe non negabo cl. viro Batteux (*Reflexions ſur la Philoſophie des Anciens*). Num temere, aut iniuria uſus ſum naribus? Vid. Iacobi Engel locus, in quo Dutems refellit *Der Philoſophe &c.* Lipſiae apud Dyck.

inveniri *ſimplex* verum potuiſſe tot ingeniis tantiſque ſtudiis quaerentibus? Nihil minus: nec enim radicum fibrae evulſae, nec rami amputati ſunt omnes opinionum depravatarum. Quin vireſcit caudex ut cum maxime, funeſtaeque arboris prope luxuriat cacumen. Inſtauratis ſtudiis poſt illam ſcientiarum noctem iacuit diu neglecta in ſcholis Ethica. Siderum magnitudines intervalla & curſus inquirebat Philoſophia; aut devocata e caelo curioſa ſpatiabatur de iis cognoſcens, quae tellus fert & continet: ſed interea detinebant eam homines recuſantes medicinam animi & a ſe ipſi arcebant, ne manus ſuas eorum negotiis admoveret (*a*). Quare ſi auditum eſt forte aliquid Ethicorum in tanto inanitatum ſtrepitu, in tanto bombo rerum arca-

---

(a) Fontenelle *Dialogues des Morts anciens avec les modernes*.

narum, quo literariae tunc palaeſtrae reboabant: nae ieiunum illud & languidum, vereque hominum non tenentium vim vocum, docendorumque quod cum incredibili plauſu alios docebant (*a*). Eripuit nonnihil ex his dumetis morum ſcientiam immortalis Franciſcus Baco totius recentioris Philoſophiae parens & dux. Sed adhuc agreſti illo quidem & horrido ſcholarum pallio ea prodiit; adhuc ei impoſita errorum ſarcina a Grotio, ab Hobbeſio, a Spinoſa, a Seldeno, a Pufendorfio, ab aliis, qui officii praecepta a natali ſolo divulſa in aliam partem tranſtulerunt.

Mala haec aevo noſtro lamentantur tranſalpini aliqui Scriptores aſſentantes noſtrae imbecillitati & indul-

(a) *Puderet me dicere non intelligere, ſi ipſi intelligerent qui haec tractarunt*. Melch. Can. *De Locis Theol.* l. IX. c. VII.

gentes mollitudini, atque omnia quae docent ut ſequamur in vita aut fugiamus, induentes larva ornatae & acris locutionis. Ubique de iis dubitant, de quibus numquam communis vita dubitavit; ubique propugnatores ſe crepant rationis & ἥρωας veritatis; ubique nos admonent, ut ſuperſtitione liberemur, lugentque tenebras generis humani. Sed quum Religionem contemnant, ea tollunt omnia, quae aptiſſima ſunt corrigendis in melius moribus, hominumque tum contra alios homines, tum contra Principem refrenandae temeritati. Eorum libros adoleſcentes, & viri manibus terunt: nec legunt modo, ſed ediſcunt & inhaereſcunt ii penitus in mentibus. Feminae ipſae, quibus ſaepe intelligentiae eſt ſumma vacuitas, turpe & indecorum putant, niſi garriant aliquid impudentiſſimae philoſophiae; & in coetu, in convivio, do-

mi foriſque ita aliquae balbutiant, ut Religionem & officia non ſolum ipſae abieciſſe omnia, ſed ab aliis etiam repellere eadem velle videantur. Hinc omnes morbum paullatim ſuſcipiunt, & lues latiſſime funditur in remotiſſimam poſteritatem. Tantam vim habet opinionum perverſitas ut amiciatur errorum velo ſimplex veritas, naturamque in profundo moralia etiam principia penitus abſtruſiſſe incautis ſuſpicio moveatur. En picta moralis diſciplinae tabula. En ſcientiae, quae vitam omnem continet, fatum lugendum lacrymis ſempiternis.

Ex iſto autem capite illud effectum cenſeo, ut aliqui in tanta hac noſtrorum temporum luce nullum eſſe e Diſciplina hac fructum clament, aut eam deſpiciant & exſecrentur, in eiusque caput furias invocent rabie & odio exſtimulati. Age explicemus aliquanto latius hunc locum, oſtenda-

muſque, qui capiantur fructus uberrimi ex morum Philoſophia. In longum ſermonem vocor: nam quum omnibus loquar, cur praeteream meos? Principio *Philoſophiae Moralis ſubſidium ſi quis Theologo neget de moribus diſſerenti ſtultus eſſe videtur*, ut vir ſummus Melchior Canus (*a*) animadvertit. Volunt ne adverſarii Theologum, qui ſolum divina calleat: in humanis erret labatur caecutiat hallucinetur? At olim Eccleſiae doctores ſummi fuere qui iidem fuere Philoſophi Didymus, Iuſtinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Damaſcenus, Auguſtinus (*b*), Hieronymus, Thomas, aliique. Legant noſtri accuſatores, & ſcrutentur ſi lubet iſtorum libros. Hi ſcatent omnes ſcitis Philoſophiae mo-

(a) *De Locis Theol.* l. X. c. IV.
(b) Vid. Euſeb. lib. V. *Hiſt. Eccl.* c. X.

rum ; multique in hanc laudes conferunt immortales (*a*). Praeterea morum Theologia de actibus humanis, de iuſtitia & iure, de pactionibus & conventis, de legibus naturae & civilibus, & ſi quid eſt generis eiuſdem diſputat, quae noſtra plane omninoque ſunt. Scio prolapſam hominum naturam a ſpe potiundae Divinitatis eo lumine iiſque auxiliis egere, quae Chriſtus Servator ſuſcipiendo in ſe omnium culpas & oblatione ſui ipſius, & vitae profuſione mirabiliter conci-

---

(a) *Atque erat quidem ante Domini adventum Philoſophia Graecis neceſſaria ad iuſtitiam: nunc autem eſt utilis ad Dei cultum & pietatem .... Praeparat Philoſophia ei viam muniens qui a Chriſto perficitur*. Clem. Alex. *Strom.* I. Vide S. Greg. Nyſſen. *in vita Greg. Taumat.* tom. III. pag. 139. Etiam Michael Foerſtechius ſatis confirmat quod fuerit veterum Eccleſiae Patrum ſtudium erga morum ſcientiam in diſſert.: *De Phil. Mor. & Iuriſp. nat. vet. Eccl. Doctorum*.

liavit : quod ignorant profani & humana tantum ſapientia tumidi Philoſophi. Quum tamen Religioni contraria eſſe nequeat ratio, ut aiebat vir clariſſimus Fleury; illud ratum fixumque habeo ea quae ad rationem pertinent, niſi e ſinu optimae Philoſophiae depromantur, aperire innumeris obſcuritatibus & erroribus viam, opprimere Divinae legis robur, totam morum doctrinam laqueis inexplicabilibus involvere, & tandem Religioni ipſi, quam colimus, non leve detrimentum inferre. Audis Theologos quoſdam de iure naturali & gentium divinando loqui, falſa peccata invehere, vera obliterare. Alios audis (abſit verbo invidia) nube quadam confuſiſſimarum diſtinctionum, & inani congerie mirabilium verborum ea obvolvere quae ſunt rationis. Saepe ambages perturbatioque occurrunt; vix ordinis alicuius veſtigium intueris

& volam. Illud ego poſtulo cur ita deſipuerint iſti: cur rapi ſe paſſi ſint in tantum gurgitem errorum & litium & ineptiarum? Nempe ob communem ſocordiam inveſtigandi metaphyſicas veritates, ob ignorata aut neglecta Moralis Diſciplinae principia, ob patrocinium ſuſceptum vocum, quaeſtionum, opinionum, quas infecerat quoquoverſum & conſpurcaverat illud pus ſubtilitatum ſcholaſticarum. Quam vellem ad totius Chriſtianae conſociationis emolumentum & decus, ut nitidiſſimus aliquis ſcriptor e ſcriniis veluti Moralis Philoſophiae fultae praeſidio Metaphyſicae candidioris illud arriperet, quod Morali Theologiae conſcribendae edendaeque in lucem opportunum eſt; fauſtoque tandem ſidere ad methodi, ad perſpicuitatis, ad concordiae oras appelleret! Rem difficilem aveo.

Quae de morum Theologia dixi eadem de ſtudio legum civilium ſentio. Nihil iſtae edicunt aliud, ut dicam libro ſecundo, niſi id quod iubet natura ſi ratio habeatur tum conditionis hominum & nexuum, quibus conglutinamur omnes; tum eorum quae ex politico foedere exiſtunt, maximamque felicitatem parant adventitiae ſocietatis. Hinc recte ſcripſit Plato (*a*): *ſi quis ſecundum naturam loquatur, ad legem; ſi quis vero ſecundum legem, ad naturam deducere:* vereque dictum a Cicerone eſt (*b*) *non a Praetoris edicto, neque a XII. tabulis; ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam iuris diſciplinam eſſe*. Quae quum ita eant, non cerno ſatis qui poſſit quiſpiam civilis iuris ſcientiam callere, qui idem hoſpes & peregrinus ſit

(a) In *Gorgia*.
(b) *De Legibus* lib. I.

in ſcientia morum. Legum cruſtam & corticem non ignorabit ſi vis; ſed legum ſubſtantiam & ſpiritum, ut aiunt; ſed veram legum interpretationem ignorabit. Nam *ſcire leges non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem* (*a*). Vis autem & poteſtas huiuſmodi forte ne acutulo Leguleio cuipiam nota, qui cautor formularum ſit & captator ſyllabarum, ſed idem ſcientiae aequi & boni, iuſti & iniuſti, honeſti & turpis, iurium & officiorum neſcius? Teſtes appello tractatus, deciſiones, reſolutiones, ſimileſque forenſium laborum acervos, quorum tanta eſt copia moleſque poſt reparatam etiam Iuriſprudentiam, ſimulque ob vacuitatem Philoſophiae tanta pernicies in multis, ut ſi extructo rogo concremarentur, utilis ope-

(a) D. lib. I. tit. IV. L. XVII.

ra veritati, & reipublicae impenderetur (*a*).

Nihil dicam de Sacrorum Canonum iure quod non copulatur modo cum Theologia, quae res divinas inveſtigat, & cum Iure Civili, quod & ipſum iubet quae facienda ſunt natura, vetatque contraria; ſed cum Ethica etiam quae mores componit, iacitque principia, ſine quibus nec plane intelligi poſſe nec rite explicari arbitror plurima, quae a Pontificiis legibus decernuntur. Sume, quaeſo,

(a) *Unde nam, quaeſo, perpetuus ille opinionum ſententiarumque conflictus? Aut unde fit ut in quavis cauſſa ex iiſdem ipſis legum fontibus verba ſententiaeque utrique parti, hoc eſt tam vero quam falſo, tam iuſto quam iniuſto faventia proferantur? Unde fit ut leges ſaepe in laqueum ac decipulam evadant? .... Nimirum quia leges intelligere, non idem eſt ac legere; & quia leges non in verborum ſono, ſed in apta iuris naturalis ad facta hominum applicatione facienda conſiſtunt .... Hoc perſpicere Philoſophiae negotium eſt.* Iohan. Baptiſta Graſerius in Acroaſi *De Philoſophiae Moralis ad Iuriſprudentiam neceſſitate.*

Decretalium titulos, & illos unos circumſpice. Peream ſi ſatis eorum mentem accipis, eoſque interpretaris, ut docto homini par eſt, niſi pulverem attigeris Moralis Philoſophiae. Omitto quae ad Sacerdotii & Imperii concordiam ſpectant, ne per tranſennam tantum res graviſſimas aſpiciam, quae dudum ingenia exercent hominum doctiſſimorum (*a*). Nihil dicam de Iure Publico (*b*), cuius tanta eſt cum noſtra hac diſciplina coniunctio,

(a) Et tamen qui advocabant olim erudititiſſimos viros honorario mille aureorum ſtipendio, ut adoleſcentes ad Canones legeſque inſtituerent, ne unum quidem nummulum ſibi excidere patiebantur, ut Morum Philoſophia explicaretur, cuius ſi tollas praeſidium, quemadmodum dixi, quae tandem eſt Legum, & Canonum cognitio? Vid. Xaver. Bettinelli *Del Riſorgimento d'Italia negli Studj, nelle Arti, e ne' coſtumi dopo il mille* cap. V.

(b) Principia intellige, ex quibus iuris publici iuſtitia & honeſtas manant. Una enim cognitione eorum, quae nationes cum nationibus pactae expreſſim ſunt, ea ſcientia continetur, quae Ius Publicum generatim dicitur.

ut ambas has ſcientias amantiſſimas ſorores eſſe iure meritoque affirmetur. Nihil dicam de Hiſtoria, quam niſi ſanus Philoſophus ſcribat peritus iurium generis humani, & puerile quiddam olet, & perverſa aut falſa effata in legentium animos inducit, & fine privatur proprio & ſuo. Feſtina ſunt haec: ſed longius iam provehor quam volebam.

Fingatur modo nullam harum utilitatum percipi quas ſum complexus. An ibit quis inficias nihil in vita tantopere quaerendum, ut verbis utar M. Tullii (*a*), quam id quod in his libris quaeritur, quid ſit finis, quid ultimum, quid ſequatur mens ut ſummum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum? Nullum ne ſibi eſſe emolumentum dicet ſi noſcat quid Deo, quid ſibi ipſi, quid patriae,

(a) *Fin.* lib. I.

quid parentibus, quid amicis, quid omnibus debeat? quae ſint affectiones animi, aut quomodo tueantur modum & rationem ſequantur ducem? qua via gignatur conſuetudo vitiorum, quae inficiunt animum & lue impura contaminant, formamque omnem virtutis abſtergunt ac delent funditus? Ex his autem qui fructus univerſae etiam reipublicae! Formatis enim moribus ſublata incitamenta ſunt legum violandarum quae *ſine moribus quid vanae proficiunt?* Enarrent nunc ſi poſſunt noſtri obiurgatores utilitatem ſeiungi maximam a morum Philoſophia. In ſilvis & antris, non in Academiis, non in expolita ſocietate eos iubeamus dicere: atque ab omni ſcientiarum regno, cuius partes nec norunt omnes, nec noſſe volunt, pauliſper faceſſant rogemus.

Quum igitur hinc tanta ſit diſciplinae huius utilitas; illinc tanta

pernicies opinionum praeiudicatarum; magni exiſtimo intereſſe ad fructum iuventutis (non audeo aliorum dicere) res tam graves tamque praeclaras ita explicare, ut opportunitates habeat maximas & ſuas emergens e vadis & ſcopulos praetervehens oratio. Sed quis ego ſum, aut quae in me eſt facultas? Pure loquar; & perſpicuam coepti conſilii cauſſam ingenuus faciam. Quum mihi qui vitam inſuavem ſine his ſtudiis putarem, hoc munus a Principe optimo demandatum ſit, ut adoleſcentes ad res Ethicas inſtituam; intellexi a me iſtum laborem iamdiu poſtulari, & hortata ſunt me plurima ut onus ſuſciperem. Itaque quum dies ad ruſticandum dati eſſent (*a*), inter proceriſſimas populos in viridibus opaciſque ripis pro-

(a) An. MDCCLXXV.

pe padum inambulans aggreſſus ſum quaerere de rebus iſtis aliquid uberius, quam communis uſus deſiderat. Sed cito decidi a ſpe edendi operis, in quo tantam difficultatem ineſſe videbam, ab eoque cogitationem ipſam meam abduxi. Conſequenti tandem anno (*a*) quum iterum rus ex urbe quaſi e vinculis evolaviſſem, conveniſſemque per aliquot dies ipſius rogatu arceſſituque doctiſſimum virum Aloyſium Dodici (*b*), quocum mihi olim communis domus fuit (*c*), & id in quo eſt omnis vis amicitiae, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio; is ex oblivione, in qua diu iacebat propoſitum eripuit, is addidit aculeos, is repugnantem vicit. Pro-

(a) An. MDCCLXXVI.

(b) Is olim in hoc Parmenſi Lyceo Logicae & Metaphyſicae R. Profeſſor, nunc Paſtor Eccleſiae Guardamilii extra muros Placentiae.

(c) Placentiae praeſertim in Collegio Alberoniano.

vinciam coepi duram atque difficilem; incedoque per ignes *ſuppoſitos cineri doloſo*: ſed fides exoneranda eſt mea. Incitabo forte non ſocordes italos ad res cognitione digniſſimas deſertas olim ac pene relictas magis magiſque inveſtigandas: quod ſi efficiam, in eo valde me ipſe amabo.

Totam ego hanc ſcientiam in partes duas tribuo. Haec ſocialem naturam hominum & mutuas indigentias ac nexus contuetur: id opuſculo hoc primo abſolvam, cui titulus eſt *De Morali Diſciplina Humanae Societatis*. Haec praeterea ſcrutatur quae ſibi homines, quae debeant conditori Deo, ut iam dixi (*a*): id libello altero per-

---

(a) Nihil eſt aliud morum ſcientia niſi cognitio officiorum, quae ex triplici iſto hominis adſpectu ducuntur: quod acute vidit Cicero ſcribens Tuſc. qq. lib. I. *Haec Philoſophia nos primum ad Deorum cultum, deinde ad ius hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudivit*. Cognitio

ficiam, quem *De Morali Diſciplina Hominis* inſcribam, ſi quam dare ſpem certam poteſt non bene valentis & ſani hominis pollicitatio. A primo autem illo exordium auſpicor laboris mei, hancque tenendam eſſe viam plane omninoque duxi, ut formam quamdam ἀναλύσεως amplecterer: nam & rectus uſus facultatum humanarum a moderatione dominantium deſideriorum pendet in primis; & homo cuius nulla cum ſui ſimilibus conſociatio eſt nec plene germen explicat permotio-

---

iſthaec modo ſterilis ac iners non ſit, nec eam motus turbulenti iactationeſque animorum obnubilent, homini adiumento eſt ad beate vivendum: quo fit ut a multis, atque a Fordycio praeſertim *Elem. de Phil. Mor.* pag. 3. ars, ſeu ſcientia dicatur indipiſcendae felicitatis: *ars* nempe quatenus regularum complexionem continet, quibus aſſequi beatam vitam poſſumus: *ſcientia* vero quatenus regulas iſtas ex firmiſſimis principiis haurit, docetque earum cuſtodia effici ut magna praeſidia in ſe ipſis homines habeant bene beateque vivendi.

num animi, nec a factitiis deſideriis valde exſtimulatur. Quoniamque meum iudicium ſemper fuit principia quae dicunt *abſtracta*; furoremque ſiſtematum veritatis inveſtigationi mirum in modum nocere; ſolam idcirco naturam hominis eiuſque reſpectus pedetentim intueor atque contemplor: quae hercle contemplatio felices illos ſurculos nobis obiiciet moralium pronunciatorum, de quibus quaerimus.

Nollem ut aliquis flueret de primo opuſculo hoc meo variuſque ſermo partim obiurgantium egredi me extra cancellos, quibus diſciplina haec circumdatur; partim cur non ſemper inſpergo e libris ſacris quae poſſem, admirantium. Scientia enim quae verſatur in moribus praecepta tradit hominibus, ſive privati illi ſint, ſive domi, ſive in civitate degant vitam. Porro niſi alte, ut oportet, & a capite praecepta iſthaec repetam, garru-

los lectores meos faciam, philoſophos non faciam. Dicam ne cuius muneris colendi efficiendique cauſſa nati & in lucem editi omnes ſimus; non quaeram an ulla ſit coniunctio & naturalis inter nos ipſos ſocietas? Explicabo quae ſit Principum, quae ſubditarum gentium Ethica; & omittam diſquirere quam ob cauſſam aut qua tandem ratione ad hanc alteram ſocietatem homines defluxerint? Indicabo rivum; obliviſcar fontis e quo rivus manat? Verum haec ſatis: nam mecum faciunt Hutcheſonius (*a*), Alembertus (*b*), doctiſſimique alii aetatis noſtrae viri (*c*). Nec verendum ne ſatis pie opuſculum iſtud concinnetur. *Quod apertam pietatem*, utar Iuſti Li-

(a) *Syſtême de Philoſophie Morale de Hutcheſon traduit de l'Anglois.*

(b) *Mêlanges* tom. IV.

(c) Inter quos Hubnerus *Eſſai ſur l'Hiſtoire du Droit naturel* tom. I. pag. 44. Vide Ariſtot. *Magnor. Moral.* cap. I.

pſii verbis (*a*), *ante omnia requirunt*, *amo; hoc tantum moneo*, *ut oculos prius ſerio intendant in finem meum*, *inque ſcopum. Si mihi Theologum agere propoſitum*, *aberravi: ſi Philoſophum*, *cur culpant? Haurimus enim e lacunis*, *quae liceat e puriſſimo divinarum literarum fonte. Huc ne me vocant?... Divinae illae literae veri roboris veraeque virtutis effectrices: nec tamen humanam prorſus ſapientiam ſperne; eam dico*, *quae non ſe effert*, *ſed ſervit placide & ancillatur. Lapides*, *caementa*, *calcem ex veteri & diu lapſo aedificio illo Philoſophiae comportamus: ne invide lucellum hoc architecto .... Philoſophum ego agam; ſed Chriſtianum: nam de verbis quid turbant? .... Si recti ſunt ſenſus*, *quid refert in re tam ardua quo velo aut veſte*, *modo non indecora*, *eos texe-*

(a) In ſua ad Lectorem *pro Conſtantia Praeſcriptione*.

rim. Si vani, convincant. Haec Lipſius: quae quamquam videantur abunde explicare quod cupiebam; tamen non deſunt alia, a quibus res tota apertiſſime conficitur. Philoſophus ſane, qui rationem ſequitur ducem, dum honeſtum a turpi, bonum a malo ſecernit; nec utitur Religione patefacta divinitus, niſi quum ipſa ratio eximium donum a Deo immortali tributum generi humano languet veluti & deficit (quod ego ſemper facio); & facilius ſuadet, ni vehementer fallor, & convincit efficacius hoſtes infenſiſſimos rerum divinarum, ut fuit etiam a Raymundo Martini animadverſum (*a*). Vident enim perditi homines, quae ſunt naturae conſentanea ut vita bene honeſteque inſtituatur, plane congruere cum iis quae augu-

---

(a) *Pugio Fidei* p. p. c. V. §. *IX. Efficacius, ut opinor, apud multos erit retundere Philoſophos per Philoſophos, quam per ſanctos.*

ſta & caſta Religio praecipit, in quam irruere ii ſolent conviciis & ſannis & omni genere impietatis. Itaque non ſolum vituperatione quavis vacat propoſitum laboris huius mei; ſed (quid diſſimulem?) laudem meretur aliquam propter utilitatem, quae hinc in mores & in Religionem permanat.

At enim ſi ita res ſe habet, cur mandas latinis literis cogitationes tuas? Cur in graviſſimis his rebus non te delectat patrius ſermo? Nec omnes tua legent, nec polite eloqui poteris quod ſentis, nec bene de doctis viris mereberis qui faſtidiunt inopem & obſoletam linguam, ut loquantur locupletiori & ſua. Teneo iſta: ſed neminem offendat meus minime mihi iniucundus labor. Malui latine dicere, quamvis italas literas amem vehementiſſime: illuc enim me graviſſimae cauſſae adduxerunt. *Latine* inquio: non ſum tamen ita demens, ut credam

poſſe me aut peregrinam verborum inſolentiam, aut ruſticam aſperitatem fugere; multoque minus apte, ornate, diſerte loqui id mihi aſſumo. Infarciam verba quae vocant latina: adhibebo ſermonis munditiam tantum quae fugiat agreſtem quorumdam Philoſophorum negligentiam; admoneboque forte iſtos, quemadmodum Antipater ille apud Tullium (*a*), ut accuratius ſcribant. Haec praefari oportuit: ad rem tandem veniamus. A te hoc unum peto ac vehementer flagito, Lector optime, ut aequus ſis iudex ſententiarum mearum. Ad me quod attinet & refellere ſine iracundia & refelli ſine pertinacia paratus ſum.

(a) *De Legibus* lib. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE
MORALI DISCIPLINA
HUMANAE SOCIETATIS.

DE MORALI DISCIPLINA
HUMANAE SOCIETATIS
LIBER PRIMUS.

DE PRIMIGENIO ET NATURALI STATU HOMINUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT I.

QUO PACTO CONSIDERARE CONTEMPLARIQUE HOMINEM PHILOSOPHUS DEBEAT, UT EIUS CONDITIONEM ET IURA EX NATURA IPSA ERUAT.

§. I.

TIbi contuenti oculo Phyſicorum, & duce magiſtra rerum hiſtoria telluris huius faciem, non eadem quae nunc eſt, ipſa perpetuum fuiſſe videtur. Tu enim campis uteris, tu uberrimas & laetiſſimas fruges ſeris, tu arbores; ubi olim piſces & oſtreae, ubi amnes, ubi lacus cernebantur. Nunc deliciae & flores, nunc vites & oliveta, nunc utiles medendi herbae; ubi nemus, ubi urenda filix antiquitus innaſcebatur. Finge aliquem longe longeque multis ante ſaeculis demortuum, qui patefa-

ctis repente terrae faucibus ab inferis excitaretur, atque in haec loca evaderet, quae incoluit; haec aſpiciens vix credo ipſe agnoſceret: adeo hominum manus, inquit Cicero (*a*), in harum rerum natura quaſi alteram naturam efficere conatae ſunt.

§. II.

Idem loqui de hominibus ſimiliter pariterque poteris, ſi contrahis univerſitatem, quae nunc eſt, generis humani, eamque gradatim ad pauciores, poſtremo deducis ad primos. Quamvis enim ad hanc diem moenibus ſeptas urbes, extructioneſque tectorum videamus, & tegumenta corporum affabre texta, vel ſuta; quamvis efficiamus domitu noſtro quadrupedum vectiones, onera quibuſdam beſtiis, & iuga imponamus, eliciamus ferrum e terrae cavernis, detegamuſque aeris argenti auri penitus abditas venas; quamvis artes ſcientiae mercatura commercium leges inventae ſint: quis tamen ignorat, inquit idem Cicero (*b*), *fuiſſe quoddam tempus, quum in agris homines paſſim beſtiarum modo vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant;*

(a) *De Nat. Deor.* lib. II.
(b) *De Invent.* lib. I.

nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Non divinae religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos quiſquam inſpexerat liberos. Adeo evoluta veluti & explicata longinqui temporis uſu & periclitatione hominum ratio homines ipſos perfecit, eoque felix penetravit, quo pervenire mortalium primis negatum fuit vel una ſuſpicione, & votis (*a*)

§. III.

Quum itaque moralis hic noſter mundus de primo ſtatu aeque ac ille phyſicus demigraverit, longiſſimeque a rudi & imbecilla & tenera eius aetate diſtet; nihil turpius Philoſopho, quam factum id caſu credere; nec originem, mutationeſque generis humani regenti omnia ac providenti naturae, hominumque voluntati & inſtitutis tribuere.

(a) Forte ſuperlatis verbis utitur Cicero? Silveſtris certe hominum plurimorum vita, hiſtorica veritas eſt, quam ſtrenue vindicat cl. Goguet in *Introduct. ad libros de orig. leg. art. & ſcient.* At enim pleni ſunt quorumdam libri contra iſta ipſa differentium. Bene habet. Si factum negas; finge hypoteſim, cuius nullam Philoſopho oſtendes repugnantiam, ſi quorumdam tantum hominum ratio habeatur gratia diſputationis.

Quaſi in moralibus locum ullum habeat, aut habere poſſit Epicurea de phyſicis mundi principiis opinio, & humanarum viciſſitudinum atomi, ſi ita loqui fas eſt, in tanto temporum ſpatio fortuitis concurſionibus inter ſe cohaeſerint: ex quo fluxerint quae ſunt, quaeque cernuntur humana omnia.

§. IV.

Quocirca Philoſophus, ut rem cognoſcat, quemadmodum naturae diſcipulo par eſt, iuraque hominum ad ipſam naturam accommodet; illud principio exquirit quae ſit primigenia conditio generis humani (*a*), cuiusque muneris colendi efficiendique cauſſa nati, & in lucem editi homines ſint: atque ad hanc diſputationem ſic adgreditur, quaſi nihil um-

---

(a) Conditio iſthaec *naturalis* etiam *ſtatus* dicitur: ideſt praefinita quaedam eſſendi ratio, quae convenit hominibus ſi eorum indigentias tantum, eiſque datas a Deo facultates ſpectes. Huius ſtatus definitiones, partitioneſque plurimas invenies apud Juris, & Moralis Diſciplinae peritos, quas ſi valere iubeas fortaſſe Philoſophiae, & veritati gratiſſimum facies. Legi ego Bodinum, Grotium, Pufendorfium, Burlamachium, Boëhmerum, Gundlingium, Georgium Daries, caeteros. Contuli omnia: nihil profeci. Nec mehercle proficiet hilum acutus metaphyſicus quiſque. Ego me video ab aliquibus aut ignarum, aut mendacem putari. Quid tum inde?

quam audierit, nihil cogitaverit eorum, quae continuata conſpirans verſuta & ſagax hominum ſolertia tot iam labentibus annis invexit complexa eſt & auxit. Hinc nullam artificioſis hominum operibus certam fidem adiungens, ea omnia ab homine diligenter ſeparat, quae conſilio quae factitiis indigentiis quae imitationi; paucis quae tempori debent referri; hominemque ſic animo cernit, ut homo eſt, & nihil praeterea. Uſus rerum, & hiſtoria eum paullatim edocent quinam ſint ortus, & progreſſus iurium quorumdam, aut affectionum humanarum, qui ſuborti ſint mores quae mutationes, quas ſubiicere mentis oculis nequit pura & ſimplex *hominis* contemplatio.

§. V.

Hunc ordinem ſequens hancque tenens viam Philoſophus nec naturae hominem obteget involucris ſocialium notionum, nec iura factis miſcebit: in quo peccarunt plerique. Porro haec mei inſtituti ratio eſt, a qua non diſcedere tranſverſum unguem conabor.

CAPUT II.

PURA ET SIMPLEX HOMINIS CONTEMPLATIO EUM PATEFACIT APPETENTISSIMUM FELICITATIS.

§. VI.

In homine appetitionem quamdam voluptatis & declinationem doloris cernimus; tametſi nondum a ſocietate depravatus is ſit, ipſa natura incorrupte atque integre iudicante. Aeque haec conveniunt Laponiae, Groënlandiae, Aſiae, Africae, Americae incolis, atque habitatoribus, quorum machinata natura eſt varia vultus lineamenta & varium ingenium; quorum diverſae ſunt plagae, diverſi habitus & mores, legeſque diverſae: aeque hominum poſtremo convenient, ac conveniebant olim primis. Sentitur hoc quidem, ut calere ignem, nivem eſſe albam, dulce mel, quorum nihil oportet exquiſitis rationibus confirmare. Quum vero a natura ipſa iudicetur, quid aut ſecundum eam, aut contra ſit: ſequitur cum natura hominis congruere fugam illam doloris appetitionemque voluptatis.

§. VII.

Si poſtulas quid ſit voluptas, quid dolor, curioſius forte id facis, quam neceſſe eſt. Nolo ego de re difficillima minimeque neceſſaria diſputationem e veſtigio habere. Quod ſi pergas, veniet mihi adiutor Maupertuiſius, quo auctore (a) perceptio, aut idea illa, qua affici malumus, quam non affici, *voluptas* appellatur, contraria *dolor*. Ecce tibi voluptatis, & doloris non definitionem quidem (nam definiri idea ſimplex nequit) ſed παράφρασιν. Quaeſo hanc ſume, nec effice ut longiſſimae ἀναλύσεως praeſidio ſignificationem & naturam inveſtigem vocum iſtarum; ſecus haberet aliquid ſupervacui faſtidii metaphyſica oratio (b).

§. VIII.

Perceptio, aut idea illa, quam appellat voluptatem Maupertuiſius, principio reſpon-

---

(a) *Eſſai de Phil. Mor.* ch. I.

(b) Quae ſit voluptatis, quae doloris natura aperiunt ſubtiliter Carteſius, Wolfius, Sulzer, Vogli, aliique. Accuratius caeteris recens quidam ſcriptor operis: *Idee ſull'indole del piacere*, qui habet profecto bene cognitam voluptatem, & ſatis firme conceptum animo dolorem. Excellenti eius opuſculo admodum delectatus ego ſum; guſtabitque ut opinor partem maximam liquidae voluptatis doctus quiſque, cuius in manibus erit.

det ſenſum cientibus leniterque agitantibus motibus, qui ἀμέσως corpuſculi ἁρμονίαν ſervant, aut turbatam reſtituunt (*a*). De dolore contraria. Porro obiectis rebus quae proxime ſenſus movent, excitandaeque iucundae perceptioni idoneae ſunt, *boni phyſici* nomen datum: ſimiliter *phyſicum malum* eae adpellari ſueverunt, quarum proximus motus in ſenſu aliquid habet iniucunditatis (*b*).

§. IX.

Hanc unam eſſe cenſeo primam boni malique notionem, ut late omnium infantium exemplo demonſtratur, qui res bonas malaſve habent, quatenus eos voluptas, aut dolor aliquis perculerit. Revera primae aetatis illius hiſtoria ad phyſicos motus in ſenſu, qui grati fere omnes, aut iniucundi eſſe debent, quemadmodum fuit etiam Platoni animadverſum (*c*), & quibus peculiares ſenſi-

---

(a) Videſis Platonem in *Philebo*, Malebranchium *De la recherche de la vérité*, Sanctorium in *Statica corporis medica*, & Povilles *Théorie des ſentimens agréables*.

(b) Non obiectis tantum rebus, quae potis ſunt perceptionibus huiuſmodi gignendis, ſed ipſi etiam motui, qui revera eſt in ſenſu; immo excitatis ab hoc motu perceptionibus *boni*, aut *mali* nomen principio poſuerunt.

(c) *Dial. II. de Legibus*.

leſque ideae reſpondent, tota quanta eſt revocatur. Igitur quum homo voluptatem aſciſcat & quaerat natura, efficitur eum natura appetere phyſicum bonum.

§. X.

At ex fruitione boni, quae aliquandiu maneat, aut ex congerie quadam bonorum, quibus interdum homo perfruitur, abſtractum nomen exiſtit *felicitatis*. Quocirca ſicut homo natura appetit phyſicum bonum, ſimiliter eum appetere oportet phyſicam felicitatem. Vides phyſicum a morali homine nondum eſſe ſecretum. At cur ſecerni heic debet? Num quae dotes, & quantae hominibus a natura, quamque eximiae tributae ſunt, adiungi ad hunc locum debent, quem habeo in manibus? Num huc incumbere pro virili parte debeo, ut enarrem, quae felicitas digna homine, quaeve communis ſit ei cum belluis? Proſpicio nunc omnia haec tamquam ex aliqua ſpecula: ſed deinceps ſumenda explicandaque ſunt. Quum enim pendeant ab humana maxime ſocietate, ob quam ratio, qua una praeſtamus belluis, dignoſcitur & explicatur; hunc locum prius exprimere neceſſe eſt; videndumque principio, an natura vel caſus

conſociaverit homines inter ſe; iccircoque an ſocialis ſit vel ſolivaga primigenia conditio generis humani.

§. XI.

Hoc unum igitur nunc habeas in omni cogitatione coniunctum, in expetendis fugiendiſque rebus duas eſſe vires, quae divelli nequeunt ab homine, ut homo eſt: altera (qua quidem voluptatem aſciſcit & ſequitur) ſuo veluti pondere ipſe in ſe recidit; altera (qua fugit, & reprobat dolorem) a ſe ea depellit atque reiicit omnia, quae moleſtiam afferunt, aut impediunt voluptatem. Porro vires huiuſmodi alii *appetitionem* (*a*) ſeu *amo-*

(a) Haec hominis appetitio videtur Malebranchio operis cit. *lib. IV, c. I.* lex naturae machinalis, cuius nempe ſumi poteſt ſufficiens ratio (liceat homini non Wolfiano Wolfii verba ſemel uſurpare) ab uno rerum omnium effectore Deo. Alii appetitionem hanc *ingeneratam* vocant poſt ſcholas veterum Philoſophorum, atque ut ignaviae inſerviant commodis praeclare agere nobiſcum arbitrantur, quum eam *inſtinctum* dicunt. Sed verba infarciunt: nulla quippe huic voci certa claraque notio ſubiicitur. Ingeneratum nihil eſt. Cedo in homine ſentiendi facultatem, qua iucundi ab iniucundis motibus in ſenſu ſecernuntur. Cedo facultatem res obiectas cognoſcendi, ex quibus iucundi illi motus exiſtunt. Cedo harum rerum horumque motuum memoriam. Tria haec proclivitatem propenſionem appetitionem illam gignunt, de qua loquimur. Vide Franciſcum Soave ad cap. XX. lib. II. *Speciminis Lokiani*.

rem felicitatis nominant; alii dicunt *amorem ſui*, ex quo veluti ex ſancto auguſtoque fonte omnis mea manabit moralis diſciplina humanae ſocietatis (*a*).

CAPUT III.

PURA ET SIMPLEX HOMINIS CONTEMPLATIO SOCIALEM PRIMIGENIAM EIUS CONDITIONEM PATEFACIT.

§. XII.

Certum eſt non eamdem ſemper conſociationem coniunctionemque homines ſervaſſe; immo inventos eorum aliquos fuiſſe, quorum non erat cum aliis hominibus colligatio ulla ſocietatis (*b*). Illud igitur quaeri a no-

(a) Id quum dico ne credas traducere me cogitationes meas ad illas ſolas voluptates, quae ἀμέσως ſapore, quae auditu, quae ex formis percipiuntur oculis, ſive quae in toto homine gignuntur quolibet e ſenſu. Paucis verbis maximum peccatum, ſi id unum intellexiſſem. Amorem volo, ut videbis infra, dignum homine etiam chriſtiano non ſegregatum comitatu pulcherrimo virtutum, quae quantum habeant ad vitam beatam praeſidii, non docendum hoc loco.

(b) Videſis Koënig. in ſuo Schediaſm. *De Hominum inter feras educatorum ſtatu naturali, & ſolitario.* Hi quidem quadrupedes inventi: ex quo quaeſitum forte eſt, an bipes, vel quadrupes ſit humanum genus natura. In utramque par-

biſ poteſt, an accommodatum ad naturam ſit (*a*), ut homo quatenus homo eſt ſolivagam & agreſtem vitam ducat; vel potius

---

tem diſputat Rouſſeau: *Diſcours ſur l'origine & les fondements de l'inégalité parmi les hommes*, not. 3. Adeo ne ignavi ſumus; adeo deiicimus nos proſternimuſque, ut diſquirere audeamus, num ſimiles & pares ſimus brutis?

(a) Ambigua in primis *naturae* vox, qua uſus hactenus fui, & deinceps utar. Scitum erat Pythagoricis, & Stoicis eam eſſe vim quamdam, ex qua vita motuſque exiſtunt partium mundi ſingularum (quod forte Ariſtoteli placuit, cuius naturae definitio iure & merito obſita tenebris viſa eſt Bruckero tom. I. *Hiſt. Phil.* lib. II. c. 6. §. 8.). In hac mente pariter fuerunt ſummi illi viri Cudworthus & Neuwtonus. Democriti & Epicuri auditores vires ſingulas ſingularum rerum *naturam* nominabant: atque id ſimiliter dicunt Carteſianae, & Leibnitianae familiae alumni. Alii *naturam* vocant virium illarum praepotentem auctorem Deum. Hinc Scholaſtici naturam aliam *naturantem* eſſe docuerunt, ideſt Deum, aliam *naturatam* (quod pus quae ſanies vocabulorum!) id eſt omnia quae a Deo effecta ſunt. Vide Petrum Hurtadum de Mendoza in *Univerſ. Philoſoph.* diſp. 7. Phyſicae ſect. 1. Omitto caeteros. Latior haec eſt ut cernis *naturae* notio. Sed ſi iſtam contrahens ad res peculiares deducis, *natura* appellari poteſt complexio proprietatum, quarum gratia res quaelibet eſt talis, qualis eſt; quaeque ei ſic convenientes ſunt, ut illam a reliquis ſecernant. Clamas in phyſicis me conſulto verſari. Sed de homine minime vafro male exiſtimas: nondum enim neceſſe eſt *moralem naturam* explicare, quae paullo poſt facilius cognoſcetur, cuiuſque nomine ſumere me contueberis pronunciata rationis, quibus ad beate vivendum ducimur.

an ſit nefas a mortalium conditione diſpeſcere ordinem affectionemque ad alios: iccircoque non natura, ſed caſus ſilveſtres quoſdam effecerit; non pacta & conventa, ſed natura ipſa conciliatrix maxime fuerit humanae alicuius ſocietatis.

§. XIII.

Johannes Jacobus Rouſſeau, cuius aliqui licet mirentur ingenium & eloquentiam ſuſpiciant, tamen portenta non probant opinionum; hominem ab aliorum communione disiunctum cenſet natura, eumque ut homo eſt, ſumendum eſſe crepat ceu nudum animal & mutum, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqua, antris utcumque propulſans iniurias tempeſtatum; quod propterea ſolum figura ſituque membrorum a brutis caeteris diſcriminetur: nempe phyſicum hominem cernit in naturali ſtatu, moralem non cernit.

§. XIV.

Alii contra maxime convinci putant ea mente effectum eſſe hominem, ut ſocialiter vivat; quia felicitatem ſuam nanciſcitur ſolius praeſidio ſocietatis, cuius nomine multorum hominum coniunctionem intelligunt, qui variis ſignis ideas exprimunt ſuas, mutuiſque ſe

invicem actionibus iuvant, ut vivant beate. Etenim vix ullum animal reperies, aiunt, quod vocari homine infelicius debeat, ſi iſte relictus ſibi ſit, atque a caeteris deſeratur. Ponatur quaeſo homo ab aliorum hominum conſociatione ſemotus; qua tandem ratione, inquit Burlamachius (a), ſervare tuerique vitam poterit, facultateſque evolvere ac perficere proprias & ſuas? Quid infantulo contingeret, ſi ope alterius privaretur? An non citiſſime periret cauſſa imbecillitatis, niſi eſſet quae ei ſuppetias ferret benefaciens & miſeratrix manus? Adoleſcentes & iuvenes temere & inconſiderate faciunt, niſi aliena auctoritate & adhortatione regantur; & praeterea nullo aliorum magiſterio inſtructi ita obſiti eſſent ignorantiae tenebris, ut vix capere quidquam; minus autem id aliis communicare poſſent. Ipſos rudes & ſilveſtres videres, commoditatum vitae ignaros, languori & deſidiae deditos, & ferme impares proſpiciendo primis naturae vitaeque neceſſitatibus. Demum ſi conſeneſcant iam ob exilitatem virium, & multiplicia mala (quae efficiunt ut ſenectus

(a) *Princip. du Droit de la Nature & des Gens* chap. IV.

ipſa ſit morbus) non ſecus ac pueri, egent ope aliorum. Hiſce porro malis una medetur ſocietas.

§. XV.

Sane, ſubdunt, quid alio tuti ſumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? Fac nos ſingulos: quid ſumus? Praeda animalium ac victimae. Caeteris animalibus in tutelam ſui ſatis eſt virium. Alia coriis tecta ſunt, inquit Cicero (*a*), alia villis veſtita, alia ſpinis hirſuta, pluma alia; alia ſquamis videmus obducta, alia eſſe cornibus armata, alia habere effugia pennarum. Item illa cernimus ut contra metum & vim ſuis ſe armis quaeque defendant. *Hominem*, addit Seneca (*b*), *imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium terribilem caeteris fecit. Nudum, & infirmum ſocietas munit .... Haec morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit .... Hanc ſocietatem tolle, & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes.* Haec omnia paucis complexus iam erat Plato (*c*): *nullus noſtrum*

(a) *De Nat. Deor.* lib. II.
(b) *De Benef.* lib. IV. cap. 18.
(c) *Dial. 2. de Repub.*

dixerat, ex ſe ipſo ſufficiens eſt, ſed multorum indiget.

§. XVI.

Rationem hanc, pergunt, ſuffulcit hiſtoria. Scimus enim homines, qui vitam ſegregem in lucis & antris traducebant, iugi moleſtia cruciatos, & continuis animi & corporis aegritudinibus obnoxios fuiſſe, ut tradunt Diodorus, Homerus, & Plato. Quotquot praeterea extant veterum traditiones, ſi fides adhibenda eſt Ariſtoteli (*a*), Euripidi (*b*), Salluſtio (*c*), Ciceroni (*d*), Martino (*e*), & aliis; veterum, inquam, traditiones teſtantur mortalium plurimos in ſilveſtrem ſtatum lapſos, vitam traxiſſe ferme ſimilem vitae brutorum. Hoc autem nunc etiam evenire hominibus, quorum nulla ferme coniunctio eſt & communis commendatio; recentiores hiſtoriae confirmant (*f*). Heic, concludunt, niſi nobis naturam mentitam eſſe putemus, a qua ita effi-

(a) *De Repub.* lib. I. cap. 2.

(b) Apud Plutarchum *de Placit. Phil.* lib. I. cap. 7.

(c) *De Bello Jugurth.* lib. I.

(d) *De Invent.* lib. I.

(e) In *Hiſtoria Sinenſium* lib. I. pag. 18.

(f) Videatur Goguet in *Introduct. ad lib. de Orig. leg. art. & ſcient.*

cimur, ut felicitatem aveamus in primis, eiuſque indipiſcendae deſiderio flagremus; ſatis compertum eſt ſocialem conditionem, quae una beatam vitam parat, omnium noſtrum naturae convenire: iccircoque naturalem, atque primigeniam eſſe, & praedicari oportere (*a*).

§. XVII.

Quae proferunt Burlamachius, Seneca, M. Cicero, & alii, quos contra diſputat Rouſſeau, forte non ſunt huiuſmodi, ut iis contentus eſſe poſſit, aut vera eſſe fateatur. Ferres me, ſi ego idem dicerem? Tu ne ſi dubitarem quidem. Sine quaeſo, ut punctum temporis dubitem. Expurgabo me, ſi Diis placet, effugiamque lubricum ſane & periculoſum locum. Omitto nihil eſſe poſſe indoctius, quam quod ab iſtis fit, qui cum *naturae* homine *civicum* hominem confundunt. Dic mihi, quid aliud ea probant omnia, niſi participem *ſocialem* hominem eſſe vitae beatioris? At quae tandem eſt neceſſitas maioris huius felicitatis? A quo didiciſti hanc unam conſtitui & ſumi congruenter naturae? Imbecilliora homine animalia ſunt plurima;

(a) Videri poteſt Gerdillus *Diſcours Philoſophiques ſur l'Homme*; diſcours I.

imbecilles ii, qui ſilveſtres reperti ſunt; nec idcirco praeda animalium & victimae. Immo delectabatur eorum aliquis ſummopere vete-ris vitae recordatione, & faſtidiebat commoda dulciſſimae ſocietatis. Non itaque in ſilvis plane & omnino miſer. Qui ergo humano generi male conſuluiſſe ipſam naturam diceres, ſi quidem homines diſiuncti ſartam tectam haberent unam conſervationem ſui? Quae quum ſint, latere videntur iſta omnia iis occultata & circumfuſa tenebris, quae impediunt ne veritas detegatur.

§. XVIII.

Sed ecce alii, quibus auctoribus ſocialem conditionem hominis appetitiones etiam oſtendunt, affectioneſque, quas indidit natura: verbi cauſſa parentum erga natos amor, commune omnibus ſolivagae vitae faſtidium (quo argumento uſus eſt etiam Cicero (*a*)); miſeratio qua conſervatur omnis homini erga hominem coniunctio & caritas; & alia huiuſmodi. Quorſum tandem iſta, aiunt, niſi ad ſocietatem effectum eſſet ge-

(a) *De Finibus* lib. III. Argumentis generis huiuſdem innititur etiam Antonius Seguy in Studii Pariſienſis Univerſitate Philoſophiae Profeſſor *Phil. ad uſum Schol. accom.* tom. 3.

nus humanum ? Egomet olim opinabar rationibus iſtis locum hunc confirmari, omniumque movebat me auctoritas Moralis Philoſophiae, & Juris Publici Scriptorum talia docentium. Atqui haec etiam vocare in controverſiam cogor, poſtquam paullo attentior humanae mentis contemplatio, & ſedula humani cordis ἀνάλυσις patefecerunt mihi quid appetitionis nomine veniat, & quinam ſit ortus aut progreſſio ſocialium affectionum.

§. XIX.

Subvereor ſane, nec ſubvereri me inique arbitror, corporis temperationem, adiuncta & conſiderationes plurimas, habitum praeſertim efficere, ut cari ſint parentibus pueri: quae omnia locum quidem habent uberrimum inita iam & expolita ſocietate; ſed minimi ferme ſunt pretii ad agreſtem vitam traducta. Secus cernerentur in brutis eadem principia ſocietatis; quippe quae multa faciunt indulgenter, nec ſine labore in educando, ut exploratum omnino ſit, quantum quaeque natos ſuos in oculis ferant. Miſeratio non privata, ſed publica affectio eſt, ut alibi dixi, cuius forte nullum in homine ſo-

livago veſtigium ac vola (*a*). Quid igitur ſociale principium miſerationem vocant, quae ortum ſuum acceptum refert ſocietati? Quod autem nemo in ſolitudine vitam agere velit, non ſatis confirmat, ut reor, nos ad coniunctionem hominum, & ad naturalem communitatem eſſe natos: de hoc enim vere iudicare non poteſt, qui guſtavit iam infinitam abundantiam ſocialium voluptatum. Sed faceſſant qui dubiis aut captioſis rationibus philoſophantur; quum hic campus non ſit, in quo mea exultare debeat metaphyſica oratio.

§. XX.

Forte tu poſtulas, num ego iſta proferens iocem ne, aut ita ſentiam. Reddens enim incerta omnia, quibus ſocialis primigenia hominum conditio probatur; maiorem forte largior, quam par ſit, ingenio libertatem, ac licentiam: adeoque non ſine ſcelere tibi videor in re apud pleroſque non dubia fluctuare. Egone reprehendar & caſtiger innocens? Age dum in iſta pravitate non perſto; iamque pro ſociali ſtatu hominum omnis a me ſermo ſuſcipitur.

(a) *Saggio Analitico ſu la Compaſſione* p. I. cap. 1.

§. XXI.

Quum ſit hoc commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, & ſoboli quaeque ſuae lac, aut alimoniam praebeant, non me reprehendet Jacobus Rouſſeau, ut puto, ſi id ſimiliter omninoque de hominibus affirmem; nec vitio mihi dabit, ſi naturalem principio dicam ſocietatem aliquam coniugii, & liberorum (*a*). Profecto perſuadere mihi ipſe numquam potui, quod ſibi perſuaſit adverſarius, ut ſubducere ſe a muliere homo velit ſtatim ac evaneſcit citiſſima neceſſitas procreationis, aut infirmos & imbecilles natos poſt unum vel alterum menſem deſerere crudelis genitrix poſſit (*b*). Sane belluarum maſculi nec ſemper feminas procant & comitantur, nec frequentiorem ſemper ineunt ſocietatem: quod hae ſtatis ſolum temporibus in furias ignemque ruant. At quo pacto ſeiunget ſe homo a femina, quae parata iugiter eſt procreationi? Finge faſtidii delicatiſſimi hominem elabi alicui feminarum: nonne ad aliam amorem

---

(a) Homines feros licet & agreſtes nuſpiam ſine familiis vixiſſe probatum etiam Ariſtoteli *Polit. I.*

(b) *Diſcours ſur l'Inégalité.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ipſe transferens, aliis ea amatoribus copulabitur? Ex quo iam maior aliqua apparet in homine, quam in bellua, neceſſitas ineundae colendaeque ſocietatis.

§. XXII.

Praeterea collocare opus eſt in phyſica educatione hominum, ut fuit Buffonio animadverſum, tempus duodecies maius quam poſtulet inſtitutio animantium caeterorum: his enim vix bimeſtribus robur illud ſubeſt corporis, illa firmitas lacertorum, quam in infante, qui biennis ſit, contuemur (*a*). Itaque & ventrem denuo gerere, & parere alium mater poteſt, dum adhuc primo educando dat operam. Hae porro matris & li-

(a) At enim prima mundi aetate ita infirmos & imbecilles natos fuiſſe qui probas? Etiamne hoc poſtulas captioſe interrogans homo? Scio aetatis progreſſu debilitatum veluti, ac fractum hominum robur a pacifica publicae adminiſtrationis forma, vi cuius pauci regunt, innumeri languori & otio dediti reguntur; a molli & delicata puerorum inſtitutione, & a recepto more arcte deviniendi concludendique thoracibus & faſciis infantes; a gymnaſtici laboris neglectu, detecto nitrato pulvere; a magnarum urbium luxu; a diobolaribus ſcortis; ab immodicis tributis, quae indicuntur agricolis; & ſi quid eſt huiuſmodi. (*Diſſertation ſur l'Éducation phyſique des Enfans, par M. Ballexerd.*) Eſto igitur, validiores ii fuerint: homines tamen.

berorum indigentiae an non efficient ut magis magiſque incendi erga mulierem vir firmarique erga natos debeat utriuſque amor, tametſi humanitas, habitus, reputatio, & caetera hujusmodi longe lateque pateant ſolum expolita ſocietate? Id qui negat, fabuloſam humani cordis narrationem texit, non hiſtoriam. Veriſimile ergo eſt indigentias huius generis ſolivagam & agreſtem vitam propulſare (*a*).

§. XXIII.

Nec etiam eo adduci poſſum ut credam hac illac ſparſas veluti & ſatas familiae ſocietates, quales Theſeus invenit Athenienſes, quos ille primus ex agris coegit in civitatem, timere ſe & fugere velle, mutuam ſocietatem coniunctionemque aſpernari, nec communibus indigentiis, caritate, amicitia, officiis providere. Scrutare hiſtoriam. Quum primum Californiae peninſulam ingreſſi noſtrates ſunt, a mutuis indigentiis congluti-

(a) Nec te Nigritarum exempla morentur, quorum feminae infantes quaeque ſuos deſerere dicuntur vix idoneos ſibi parandis, quae ſunt neceſſaria ad vitam t. 1. *Mélanges intéreſſans des Voyages d'Aſie, Amérique &c.* Me nimirum eorum Philoſophorum puderet, qui inde effici arbitrarentur feminas illas naturam ſequi, & eius quaſi lege vivere. Naturae enim tribuerent, quod individuae accidentariae perverſitatis eſt.

natos incolas invenerunt. Ubi feracior tellus, ibi caſae frequentiores. Confuſio, odia technae, bella, caedes, rapinae a feliciſſima illa regione exulabant, agebatque triumphos una omnium pax. Apud Braſilienſes ipſos, qui nec eſſe poſſe imperatorem ullum in terris, nec tam inſanas ſubditas gentes dari arbitrabantur, quae illius iuſſis ac legibus obtemperarent; mira animorum concordia reperta eſt: nec eos ad bellum umquam excitarunt foeda utilitas, ambitio (*a*), & caetera huius generis, propter quae in extremum diſcrimen adducta ſaepe ſe aſſicatum cadaver vidit Europa. Omitto ſexcenta alia. Pergam ſi vis, & urgebo anguſtius. Pertimeſcant parvae illae familiae aut ferarum dentes & ungues, aut inſidias & impetus hominum aliorum. Igitur ut a feris tueantur ipſae ſe, aut contra hoſtium copias adſiſtant; *indigentia* conciliatrix erit humanae maxime ſocietatis. Hoc quidem argumento non inconcinne utitur audaciſſimus ſcriptor Helvetius (*b*). Perſpicuum itaque eſt hanc

(a) *Hiſtoire Philoſophique & Politique des Établiſſements &c.*

(b) *De l'Homme, de ſes facultés intellectuelles & de ſon éducation*, tom. I. ſec. II. c. 8.

normam, hanc regulam, hanc praeſcriptionem eſſe naturae, ut homo ſocialiter vivat: ſecus ſua ſponte & voluntate praeceps ipſe rueret in aerumnas ac gurgitem infelicitatis.

CAPUT IV.

CUIUS FELICITATIS CAPACEM HOMINEM EFFICIAT SOCIALIS ET PRIMIGENIA EIUS CONDITIO.

§. XXIV.

Homo ſolivagus hanc habet conſtitutionem confuſam & incertam, ſi ita loqui fas eſt, ut tantummodo ſe tueatur, qualiſcumque ſit: ſed nec quid ſit, nec quid poſſit, nec plene quid ipſius natura ſit, intelligit. Hinc bonum phyſicum aſciſcit tantum & quaerit, ſolumque phyſicum malum refugit & aſpernatur, quemadmodum dixi capite ſecundo. At quoniam hactenus comprobata *ſocialis* hominis vita eſt; illud reſtat, ut doceam, quo pacto locupletior ad beate vivendum is fiat, & quae ſint alia genera voluptatum, quibus fruitur congruenter naturae. Itaque *ſo-*

cialis homo educationis praeſidio paullatim procedit, & quatenus ſe attingat, ad ſeque pertineat perſpicere incipit; tum ſenſim progreditur, facultateſque animi explicans atque perficiens, ſe ſe, ſuoſque reſpectus agnoſcit & intelligit. Id vocari nequit in dubium, ſi ſocialis, & ſilveſtris hominis contentio comparatioque fiat. Hinc quoniam eadem utriuſque natura eſt; illud etiam eſt perſpicuum tum ſilveſtrem hominis naturam imperfecta ratione, tum ſocialem perfectiori & praeclara illa quidem atque excelſa, a variis voluptatis & doloris gradibus moveri, explicari, perfici, ut demonſtratur in libris Metaphyſicorum (*a*).

§. XXV.

Ex his breviter expoſitis (nec enim ſum copiam quam potui, quaeque metaphyſici viri eſt perſecutus) illud effici reor humanum animum poſtquam a primo illo corporis obſequio indulgentiaque diſceſſerit, plene tandem agnoſcere quid fugiendum quid expetendum

(a) Felicius caeteris in hoc loco verſantur Lokius *Eſſai Philoſophique concernant l'entendement humain*, Condillacus *Traité des Senſations*, & Bonettus *Eſſai analytique ſur les facultés de l'ame.*

ſit ſecundum rationalem naturam; id eſt non voluptatem, qua actu percellitur ſtatim amplectendam, nec fugiendum dolorem omnem, ſed ſecernendam voluptatem a voluptate, doloremque a dolore; longeque etiam proſpiciendum, ne forte voluptas quaevis in poſterum tempus cauſſam afferat dolendi. *Boni* praeterea, *malique* notionem amplificat ſagacitatis & praeſenſionis vi, eamque deinceps ad ſolas obiectas res non refert, quae ſenſus ἀμέσως movent: ſed inter bona omne id recenſet, quod eum ſervat ac perficit, ſeu quidquid cum natura ſua, eiuſque reſpectibus congruens cognoſcit: inter mala vero, quidquid intelligit contrarium. Nempe phyſicis boni malique ideis moralem utriuſque ideam adiungit (*a*). Ex quo fructus exiſtunt ampliſſi-

(a) Rectiſſime Hutcheſonio *De orig. idear. pulcr. & virt.*, & Lokio operis citati *l. II. c.* 20. §. 2. *bonum* generatim eſt quidquid dolorem minuit, aut contrahit, vel parat, aut auget voluptatem; *malum* autem quidquid iſtius partem aliquam tollit; aut dolorem intendit vel creat. Hic autem dolor & iſta voluptas ſi a motu proximo in ſenſu excitentur, *phyſica* ſunt ut iam dixi; ſi aliunde pendeant, *moralia*; quorum perfecta cognitio evolutioque unius vitae ſocialis ſunt. At enim quae eſt moralium voluptatum & moralium dolorum origo? Spes forte & metus. Id placuit ſummo illi viro, quem laudavi *in annot. ad* §. *VIII.* Pleraſque voluptates,

mi in humana vita. Ergo ſocialis homo non phyſicum, ſed morale etiam bonum expetit & conſectatur; non phyſicum, ſed moralem praeterea dolorem depellit & fugit: iccircoque non eam ſolum felicitatem appetit, quae ἀμέσως titillet ſenſus ut ita dicam, & ad eos cum ſuavitate affluat & illabatur, de qua diſputavi capite ſecundo; ſed nobiliorem aliam, quae pendet maxime a conſilio, a ſapientia, a virtute, quibus carere ſolivagum hominem neſcii ſolum ſunt contentionis cupidiores, quam veritatis (*a*).

& partem maximam dolorum ex utraque affectione illa exiſtere omnes concedent. Si dicam nullam eſſe voluptatem huiuſmodi, doloremque nullum, qui non a ſpe & metu proficiſcatur, mihi reſiſtent plurimi. Ego omnium ſuffragia magni facio, non expeto. Quid non invexit errorum in univerſam Philoſophiam ignorata neglecta contempta ἀνάλυσις!

(a) Audio neſcio quem inſuſurrantem mihi latere ſub doctrina hac mea noxium virus nefarii, & everſoris honeſtatis omnis Epicuri. Hic enim aeque ac nos docet voluptatem expetendam, fugiendum dolorem; aeque ac nos concludit accommodatum naturae eſſe, ut in voluptate ſita ſit beata hominum vita. Papae! Hucne miſer & inſcius perveni? At non ſuccenſeat mihi benignus & verecundus reprehenſor: nam brevi res poteſt tota confici. Principio Epicuro tribuit, quod eſt eorum, qui acutum illum Philoſophum audiebant. Quamvis enim M. Cicero (Epicureus licet) multis in locis, ut *Tuſcul. III.*, ut *I. de Nat. Deor.*, ut *II. de Fini-*

§. XXVI.

Quoniam dixi tributum eſſe homini a natura, ut ſociatus vivat, quantamque vim habeat ſocietas ad facultates animi explicandas parandaſque homini liquidiſſimas voluptates: praeſtat nunc audire Jacobum Rouſſeau, qui repudiatus a me facilius, condemnatuſque diſcedet.

---

bus in culpa eſſe Epicurum velit, quod voluptuariam, delicatam & mollem doctrinam tradiderit; idque innumeri alii confirment: labem tamen ac infamiam eius nomini temere inuſtam eſſe probant poſt Gaſſendum Bruckerus *Hiſt. Phil. p. II. c. XIII.* & Agatopiſtus Cromatianus *Hiſt. Phil. capp. 33. 34.* Deinde illud ratum fixumque eſſe debet ab uſu voluptatum effici, ut beate vivamus, quaecumque ponatur cauſſa procreatrix felicitatis. Quare Philoſophi omnes tum veteres, tum recentiores non re, ſed vocibus diſcrepant, ut oſtendit paullo accuratior ἀνάλυσις ſententiarum, in quibus ſunt, egoque ipſe patefaciam, quum exponam quid ſit, ex quo haurienda voluptas iſthaec digna homine eſt, atque ad id explicandum in *Morali diſciplina hominis* diſputationem omnem, ſuperis bene faventibus, conferam.

CAPUT V.

REIICIUNTUR ARGUMENTA IACOBI ROUSSEAU.

§. XXVII.

Negat ipſe naturam mutuis veluti indigentiis colligaſſe homines, eiſque conceſſiſſe quidquid requiritur ineundae colendaeque ſocietati. Non primum: quia aequales ſunt natura indigentiae hominum & belluarum; nec homo exempli cauſſa homine magis indiget, quam ſimia, & lupus ſimia altera & lupo indigeant, quorum nulla eſt certa, & fixa ſocietas. Non ſecundum: quia ad ineundam colendamque ſocietatem ſermo neceſſarius eſt. Atqui tamen elingues & muti in lucem omnes edimur, ab unaque ſocietate poſſumus orationem habere. Quare concludit ad illam effectum minime fuiſſe hominem a natura.

§. XXVIII.

Rogat praeterea, an homo ob hanc cauſſam ſocialis ſit natura; quia explicare & evolvere facultates proprias & ſuas nequit abſque ſocietate. Eſſent, inquit, perſpicua haec minimeque dubitanda indicia naturae, ſi ad

incunabula accedentes generis humani, non videremus conſociationem quamlibet a plurium cauſſarum concurſione pendere, atque a fortuitis adiunctis, quae eſſe nullo modo poterant, aut millena forſan labi debebant ſaecula priuſquam forent. Quae quum ita ſe habeant, quo pacto ſocialis *actu* probatur primigenia hominum conditio?

§. XXIX.

Tandem omni animali, ſubdit, illud quod appetit poſitum eſt in eo, quod naturae eſt accommodatum. Iam vero ſume hominem ab aliorum coniunctione diſcretum, qui ſe conſervet & ſuum ſtatum, & ea quae conſervantia ſunt ſui ſtatus diligat; nempe qui phyſicis indigentiis aeque ſatisfaciat atque animalia caetera: is & appetit quae ſunt ſecundum naturam, & non habet quod peroptet amplius. Felix ergo: At ſi beatus ſilveſter homo, cur ſocialis natura?

§. XXX.

Certe non philoſophi ſunt iſta, ſed furentis potius in genus humanum. Pertinet porro, ut ego arbitror, ad hanc quaeſtionem, refellendoque ſcriptori huic, opportunum maxime eſt, praeter ea quae de nobiliori &

magis excelſa felicitate ſuperius dixi, non ponere de manibus quantum homo a bellua diſcriminetur. Sane nullus eſt, qui tam agreſtibus inſtitutis vivat, aut contra ſtudia ſocietatis tam vehementer obduruerit, ut non patefaciat, quantum pecudibus, reliquiſque beſtiis antecedat. Quamvis enim eadem ſit origo cognitionum hominis, ac belluarum, idemque operationum fons, voluptas & dolor; idem ſenſus in homine ac in brutis, par reputatio, recordatio eadem: brutorum tamen reputatio, quam noſtrates *reflexionem* vocant, ſolos limites agnoſcit corporum, uſuſque eorum ad dolorem fugiendum conſequendamque voluptatem; ſolo ſenſu continetur, nec ad abſtractas uſque & comparatas cognitiones ſe accommodat, ad quas gradum facit hominum intelligentia, quae cauſſas rerum videt, ut ait Cicero (*a*), & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adiungit atque adnectit futuras. Rem loquor extra aleam dubitationis; quippe quae tot ſaeculorum periclitatione, totaque animalium hiſtoria firmatur.

(a) *Off. I.*

§. XXXI.

Obverſatur animo ſilveſter homo; & tamen quaero quid tandem efficit diſcrimen huiuſmodi? Sola ne ſocietas? non ſciſco ſuffragium: nam in ſpecie quadam ſocietatis belluas vivere fere omnes videmus. Narrat etiam Buffonius (*a*) a ſe viſum ſimium quemdam eius formae, quam *Orangs-outangs* appellant, erecto corpore incedere, ut homines ſolent, menſae conſidere, explicare mappam, cochleari furcillaque uti, potionem ſuam poculo infundere, & ori admovere; aliis denique vinum promere, & ſalutem feſtivis ſignis propinare (*b*). Hic certe ſocialem vitam vivebat multo perfectiorem ſociali vita animantium caeterorum. Percontor ergo, quare nulla umquam ſigna protulerit rationis? Percontor, cur nondum belluae omnes intellexerint, quod ſciamus, finem & officia ſocietatis, nondum arbitrariam orationem adhibuerint; nec ſimia, & lupus aevi noſtri ab iis differant tempo-

(a) Tom. IV. *Hiſt. Nat.*

(b) His ſimilia, immo vero admirabiliora de horum animalium conſociatione, quae aptiſſima eſſet per ſe explicandis animi facultatibus, narrant Tulpius, Pyrardus, Groſſus, alii.

rum longe diſſitorum ? Licet ergo humanae rationis explicatio potiſſimum ſocietati accepta referatur; ſumere tamen poſſum domina omnium & regina ratione diſtingui hominem a bellua; nec factitiam proprietatem ſumo, quum ſita diſtinctio ſit in natura.

§. XXXII.

Explicatur ratio, inquit Rouſſeau, quia homines perficere ſe ipſi poſſunt in dies praeſidio ſocietatis, bruta non poſſunt (*a*). Non repugnabo ſi vult; ſed eum monebo interea ab iſto forſan capite praeparationem illam fluere ad ſocietatem, quam ipſe reiicit atque contemnit. Nam quum datum ſit homini ut facultatem ſe perficiendi habeat; nec is, quod ratum fixumque habent Metaphyſici omnes, ad perfectionem ſuam abſque ſocietate perveniat: praeſto erit ne qui neget eum tum ad ſocietatem aptum, tum indigum vitae ſocialis in lucem edi & naſci? Id quum ita

---

(a) Explicatur in hominibus ratio, inquit Helvetius *De l'Eſprit tom. I.* non ob ſocietatem tantum; ſed quia tactu perfectiori homines fruuntur quam bruta. Alii (ſupernae etiam certiſſimaeque patefactionis luminibus fulti) in ignota animorum natura latere differentiam aliquam cenſent, ob quam humanus animus κατ' ουσιαν ab animo pecudis diſcriminetur. Diſcutiant haec metaphyſicae rationis periti.

ſit, facultas iſta, quae ſolis hominibus ab eo conceditur, non eſt, ut reor, a ſociali quopiam germine ſecernenda. Plus ergo egent homines naturali conſociatione, quam ſimia, lupus, belluae omnes, quae plane & omnino a natura non habent, ut ſe magis in dies magiſque explicent, atque perficiant.

§. XXXIII.

At enim a fortuita concurſione adiunctorum mirae huius facultatis pendet explicatio. Minime gentium: nam ſatis oſtendit poteſtas iſta indipiſcendae perfectionis ea ratione productos homines, ut iis adiunctis & commodis non privarentur, ſine quibus ea evolvi explicarique non poteſt: ſecus eo redacti eſſent natura, ut intimam perfectionem ſuam aut numquam, aut fortuito ſibi compararent: quod anus delira, quod rudis popellus credat, non ego. Porro adiuncta haec & commoda non divelluntur ab ea, de qua dixi, ſocietate coniugii & liberorum. Itaque amputata circumciſaque inanitate omni, & errore ratiocinationis, conditionem, qua ſunt homines natura, longe diſtare videmus a naturali conditione belluarum.

§. XXXIV.

Huic certae ſtabilique ſententiae quae ſunt coniuncta, explicabo brevi. Teneo quod de neceſſitate ſermonis ad ineundam, colendamque ſocietatem adverſarius dixit. At ſi ſocialem ponimus ac probamus eſſe hominem, nec praeterea conſociari eum, nec ulla caritate coniungi poſſe abſque oratione arbitramur: quidni haec conceſſa dicatur mortalium primis, inquit doctiſſimus Lamy? Ego vero liberalius dabo elingue & mutum eſſe natum divinum illud animal hominem: mihi enim videtur (qua de re uno ore Metaphyſici conſentiunt ſolertiores) neceſſaria vocabulis inſtituendis indigentiarum filia ſocietas (*a*). Num iniri ſocietates abſque oratione non poſſunt? Poſſunt mehercle nutibus & ſignis, quibus tenella infantis mundi lingua ferme continebatur (*b*); quum nempe homines nondum mentem habebant,

---

(a) Legendum omnino acutum cl. Franciſci Soave Opuſculum: *Ricerche intorno all'Iſtituzione naturale d'una ſocietà, e d'una lingua, e all'influenza dell'una e dell'altra ſu le umane cognizioni.*

(b) Chriſtianus Philoſophus facilius effugit ſalebras difficultatum, ſi ad libros patefactos divinitus confugiat: ex iis enim certiſſime intelligit, quae hominum, quae origo

qua nunc gaudent, acrem & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, & ut ita dicam ſagacem.

§. XXXV.

Praeterea quamvis orationem, quae ſocietatis vinculum eſt, ut eam vocat Cicero, ab una ſocietate homines habeant; habent tamen, quum ſe perficere in dies poſſint, orationis inſtituendae capacitatem, cuius expertia ſunt bruta. Num iſta non loqui dices, quia ſine congruenti ſocietate educantur, aliquando autem loquutura, ut hariolatur *De la Mettrie* (*a*). At qui probas congruenti illa ſocietate bruta deſtitui? Itaque ſi aliqua iniri ſolis nutibus ſocietas poteſt; ſi haec firmatur & colitur inſtitutione orationis, quae ſolum hominibus convenit, quod ſe perficiendi admirabili facultate donentur: videsne non recte conficere adverſarium minime praeparatos nos ad ſocietatem fuiſſe; quia elingues mutique naſcimur?

ſit vocabulorum. Sed alta haec & excelſa profani ſaeculi huius ſapientes contemnunt. Vid. *La Loi naturelle* par M. Rouſſel.

(a) *L'Homme machine* pag. 26. 27. *Les Animaux plus que machines* pag. 6.

§. XXXVI.

Remanet locus poſtremus ex quo concludebatur beate hominem vivere poſſe, tametſi auxilio aliorum deſtitueretur. Dabo id etiam ſi adverſarius vult. Ergo beatus eſſet congruenter naturae: id ſane nego. Profecto ſi phyſicas voluptates cum moralibus conferas, quae ex ſocietate in hominem manant (ex Cap. IV.), quibuſque (modo faceſſat Ariſtippeus grex) beata hominum vita praeſertim continetur; eae obſcurentur & intereant neceſſe eſt, ut obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernae, & ut interit (utar accommodatiſſime M. Tullii verbis) magnitudine maris Aegei ſtilla muriae. Atqui non explicatur abſque ſocietate ratio, nec evolvit ſilveſter homo datam a natura ſe iugiter perficiendi facultatem, qua eminet inter bruta. Itaque nec beatus ut humanam naturam decet, niſi ſocialis. Certe pertinax non fuiſſem, adverſarioque ſubmiſiſſem faſces, ſi mihi probaſſet ea, quae dixit. Sed quo pacto aſſentiri ei poteram, qui acutus licet & acris ingenii ſit; nec ingenue argumentatur hac in re, nec accurate diſſerit, nec rationibus conquiſitis diſputat?

§. XXXVII.

Conficitur ex iis quae hactenus dixi conditos nos ad ſocialem vitam eſſe: quia omnium noſtrum indigentiis ſola opitulatur ſocietas. Itaque ſociales ſumus; quia amamus ipſi nos & quod nobis utile ac bonum eſt ſequimur. Haec vero quae inter omnes intercedit conſociatio, & vitae quaſi communio, ob quam in civitate telluris, ut belle loquitur Cicero, nullis circumdata moenibus vivimus, *naturalis* dicitur, ut a *civili* diſtinguatur, cuius conſequenti aliquo libro originem, & officia explicabo (*a*).

§. XXXVIII.

Quum ſint a natura conglutinati homines pleni indigentiarum, haec duo conſequuntur; primum mutuo ſe amore eos proſequi oportere: *amare* enim *indigere* eſt, ut oſtendam ſuo loco. Alterum commutatione officiorum alium ab alio iuvandum eſſe cauſſa

---

(a) Naturalis ſocietatis mentionem faciunt M. Aurelius Antoninus lib. III. *De rebus ſuis* §. 4 lib. IV. §. 3. lib. XII. §. 36., Seneca *epiſt.* 7., & alii, quos recenſet Iuſtus Henningius Bohemerus *Introduct. in Ius pub. univ.* c. I.

indipiſcendi beatam vitam (*a*): ea quippe ſublata convellitur fundamentum omne humanae conſociationis.

§. XXXIX.

At enim ſi res ita ſe habet, cur ſociali amore vacui homines ea conſectantur, quibus ſocietas labefactatur? Cur aliorum vitae, & libertati, & honori, & rei familiari inſidias parant, & facinora quaevis perpetrant quantae vis perniciei (*b*)? *Offuſa eſt nempe hominum mentibus caligo & nox; & incredibiles agit triumphos inordinatus cuiuſque amor.* Si res ita ſe habet, cur plurimi ſunt in alios ita male inſtituti, ut nullis quidem obſint, ſed nec ullis proſint, aut aliquid faciant eorum, quibus amplificatur utilitas publica ſocietatis? *Nimirum ſibi non aliis natos ſe pu-*

(a) Hinc effectum puto, ut Burlamachius *De principiis I. N.*, ut Magdeburgenſes *Centuria* 4. & 5., ut Calvinus *Inſtit.* lib. IV. c. 4., ut alii ſcribere potuerint ſuperſtitionis eſſe, aut triſtitiae, aut ſingularis cuiuſdam ingenii a naturali conditione amoventis vitam ſolitariam degere, quemadmodum faciunt ii, quos *Eremitas*, & *Monachos* noſtrates vocant. Sed caligat acies hominum profanorum, qui eos reprehendunt.

(b) Vere ſcripſit Cicero Off. II.: *Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quae non homini ab homine naſcatur.* Quod explicavit Ariſtoteles *Pol.* lib. I. c. 2.

tant. Putarent aedepol, ſi quidem id vellet qui procurationem habet ſocietatis. Lege hiſtorias, & hominis naturam conſule. Itaque dignum quod omnium menti obverſetur iuſſum illud cenſeo ex ipſa natura hauſtum, & tot ſaeculis ante natum, quam ſcripta civilis lex ulla, aut quam omnino civitas conſtituta: *Alter alterum amato. Communis felicitas ſuprema lex eſto. Fruges conſumere nati homines digni, qui a ſocietate proſcribantur, habentor.* Sed officia primigeniae ſocietatis longiore deinceps oratione proſequar, poſtquam de primigeniis hominum iuribus dixero.

CAPUT VI.

EADEM OMNIBUS CONVENIUNT IURA IN PRIMIGENIA CONDITIONE.

§. XL.

Eadem eſt omnium natura; eaedem inſitae omnibus propenſiones; omnes ad pares ſimileſque affectus idonei; una denique omnes continet definitio, ut nihil ſit uni tam ſimile, tam par, quam omnes inter noſmet ſumus, inquit Cicero. Hinc illa *naturae aequa-*

litas & ſimilitudo, quae ob oculos eſt omnium ferme Philoſophorum: haecque adeo firma & manifeſta Hookerio viſa eſt (*a*), ut eam fundamentum eſſe dixerit dulciſſimae caritatis, qua ſe mutuo complecti homines debent, & officiorum omnium, quae a ſociali iuſtitia iubentur, ut animadvertit Lokius (*b*).

§. XLI.

At illud quaeritur; an conceſſa etiam aequalitate quadam & ſimilitudine naturae, *iurium* etiam aequalitas ſumi concedique poſſit (*c*)? Priuſquam reſpondeo aperire opor-

(a) *Eccl. Pol.* lib. I.

(b) *Du Gouvernement Civil* chap. I. §. 2. Annibal igitur gregario cuivis militi; Metellus, & Marius uni cuilibet proletariorum aequales & ſimiles ſecundum naturam. Quod belle Cyrus agnovit, qui Croeſo devicto, dum ab iſto dominus compellaretur, reſpondit: *Salve tu quoque, Croeſe; nam homines ambo ſumus*. Nimirum: licet ego victor tui, tu victus a me ſis: ſarta tectaque manet tamen naturae aequalitas. Vide *Xenoph. Cyroped. pag.* 181.

(c) Quum pueri a viris, viri a ſenibus, a robuſtis imbecilles, ignari a ſapientibus diſcriminentur, aliaeque cernantur corporis animique, & virium differentiae; has tanti fecerunt aliqui (Philoſophos niſi mentiar non dicam), ut diverſas ponerent hominum ſpecies, nec eumdem, quatenus ad humanam naturam ſpectat, dici poſſe arbitrarentur Americae verbi cauſſa, ac Europae noſtrae incolam. Oh capita!

tet quae ſit certa notio, quae huic voci *ius* ſubiicitur: ſecus neque intelligi quidquam in hac diſputatione, neque quaeri diſputarive poteſt. Omnes dum in lucem edimur quaedam habemus ita propria & noſtra, ut plane omninoque alteri nequeant referri. Corpus, animus, vita & alia huius generis, quae in me inſunt, mea ſunt, non tua, non alterius cuiuſvis. Iamvero diſperſis hominibus, & nondum a fera agreſtique vita ad hunc humanum civilemque cultum deductis proprietates iſtas *iura* placuit appellare. Similiter *iuris* nomen ad eas etiam tranſlatum eſt, quae ex primaevis illis erumpunt. Sic cum mira corporis animique coniunctio vires corporeas & ſpirituales gignat, vires huiuſmodi *iura* adpellata ſunt. Ecce vetuſtiſſima & prima phyſica iuris idea: quod acute vidit vir ſubacti ingenii Iohannes Baptiſta Vico (*a*).

§. XLII.

Phyſicam iuris ideam, *moralis* deinceps excepit. Hominum quorumdam immanitas principio in belluas irruit vel paſtus cauſſa, vel defenſionis; deinde in homines ipſos ob

(a) *De conſtantia Philologiae*.

ſuccreſcentes permotiones animi inordinatamque & factitiam cupiditatem eorum, ad quae quiſque rapiebatur. Hinc ſuffocato paullatim humanitatis omnis ſenſu, fermeque extincta rationis luce unum corporis robur aeſtimatum eſt. Imbecilliores allatam in ipſos vim aegre ferentes ſuo malo ſapientes facti cogitarunt iura haec ob eam rationem a natura unicuique tributa, ut ſint & ſint beate: propterea a natura ipſa unicuique afferi addicique perviderunt; coeperuntque notiones iuſtitiae & iniuriae potentioribus proponere, ut perſugio aliquo uterentur. Hac via ab idea iuris phyſici ad *moralem* iuris ideam ventum eſt. Nempe quatenus proprietates, quas quiſque habet ſuae ſunt, non alterius, *iura* dicuntur *phyſica*; quatenus a natura ipſa, ſeu ab univerſali lege illa naturae, qua res omnes continentur, eae unicuique afferuntur, *iura* appellantur & ſunt *moralia*. Ex quo illud illico ſubſequitur neminem, niſi iniuria, obſtare poſſe ne iuribus noſtris utamur: iis enim iuſte agimus dum utimur, quia utimur congruenter naturae. Hinc ius *moralis facultas* appellatum, & quaecumque iuris violatio, *iniuria*.

§. XLIII.

Evoluta explicataque iuris notione, an aequalia ſint omnium iura in naturali conditione videamus. Tria ego arbitror convenire omnibus, quibus ſimiliter enodandis inſumendus nunc labor eſt. Quum homines & eſſe & beati eſſe cupiant, idque ad naturam accommodatiſſime (ex Cap. II.); illud intelligitur ſummam etiam poteſtatem habere, ſeu ſummum ius modeſte faciundi omnia quae vitam ſervant & beatitatem parant; *modeſte* inquam, ne iura inficiant aliena, dum propria & ſua proſequuntur. Ius autem huiuſmodi *naturalis libertas* dicitur, quae cum licentia confundi non debet, ut confuſa commixtaque a Filmer fuit. Videri poſſunt Euripides (*a*), & Homerus (*b*).

§. XLIV.

Manet perpetuum hoc ius, praeſtans donum naturae; neminique adverſus iſtud auctoritas eſto. Huic non reſpexerunt Romani, apud quos vel facti vel nati ſervi albo perſonarum eraſi, pro rebus, immo pro nullis

---

(a) *In Cyclope* v. 120.
(b) *Uliſſeidis* lib. I.

habebantur: nam iurium quorumcumque iactura ad illam ſervitutem non abſque infando humanitatis dedecore adiungebatur (*a*). Utinam vero Romulea gens ſolum crudelitatis huius exempla dediſſet! At ſequentes etiam politiorum omnium populorum aetates contaminavit iſta contagio. Sic apud Turcas & Perſas, apud Iaponenſes & Sinenſes, ſub magno etiam Mogolis Imperio non ſolum oppreſsae generatim feminae (*b*), ſed omnium obtinet ſervitus. Servos pariter vidit cultiſſima haec telluris pars Europa; vidit non ita pridem miſericors & lacrimans noſtra Religio (*c*). Sed venio ad ius alterum.

(a) *Théorie des Loix civiles* liv. V.

(b) M. Thomas *Eſſai ſur le caractere, les moeurs & l'eſprit des Femmes*.

(c) Qui potuit ſcribere Ariſtoteles acutus ille cognitor iurium humanorum congruenter naturae fieri ſervos aut naſci? Vide Danielem Heinſium in *Ep. ad Richterum ab Iano Rutgerſio in variis lectionibus editam*. Qui venire in mentem ICtis potuit ſervitutem, tametſi contra naturam ſit; a iure tamen gentium iuſtam fieri? Vide §. 2. *Inſtit. de Iure Perſonarum*. Haec duo non ſatis intelligo. Pauci ii intelligunt, qui veteris ſervitutis inſtaurationem totius Europae ſaluti neceſſariam non ita pridem pronunciarunt. Hos quaſi decumanas cucurbitas irridere, aut ſpernere tam-

§. XLV.

Neceſſario efflagitat natura corporis humani res plurimas exteriores, quibus ſervet ſe ac tueatur, & quibus commodior dulciorque vita traducitur. At res, quibus tellus haec noſtra copioſiſſime abundat, eae ipſae ſunt, quibus homo vivere, & beate vivere magna ex parte poteſt. Itaque iis utendi fruendique ius habet congruenter naturae, ut a ſuarum indigentiarum dolore liberet ipſe ſe, & congruis voluptatibus perfruatur. *Ad hominum commoditates & uſus*, vere aiebat Cicero de Legibus, *tantam rerum ubertatem natura largita eſt, ut ea quae gignuntur, donata conſulto nobis, non fortuito nata videantur*. Porro ius iſtud *naturale dominium* dicitur (*a*).

---

quam hoſtes generis humani (quod fecerunt aliqui) non decet; modeſte & tranquille refellere, optimum eſt. Locus ſervitutis tactus eſt a Monteſquieu, *Éſprit des Loix* lib. XV., atque ab Heineccio in *Syntagmate antiqq. Romm.* lib. I. tit. 3. Hic tamen Romanae potius hiſtoriae, quam iuris rationem habet.

(a) Sacrum ius iſtud, quod quiſque habet naturâ, olim *auctoritas*, deinde *proprietas* appellatum. Initio debuerunt homines res a ſolo divellere, eaſque abſumere ſe tuendi ſervandique gratia. Sed animadvertentes modo onuſtas eſſe fructibus arbores, faecundas ſegetes, ornatamque floribus

§. XLVI.

Nemini ſit illuc tactio. Etiam qui ſub imperio eſt, ingenito hoc iure gaudeto. Cur ergo plurimi nuditate, inopia, fame conficiuntur, interea dum alii deliciis etiam & bonis omnibus redundant? Cur a divitibus eiiciuntur ſuperbe inopes, etiam quum precibus & lacrimis opem efflagitant; interea dum magnam ii pecuniae vim profundunt in ludos, in theatra, in convivia, in ſcorta, in

---

& herbis telluris laetiſſimam faciem; modo ſqualere paullatim omnia, & quae ad uſus vitae ſunt neceſſaria deficere; providerunt in poſterum, & collectos aeſtate fructus in hiemem ſervarunt. Aucto deinceps eorum numero nec percepti, nec collecti fructus ipſi ſufficiebant: hinc ſola terrarum terminis poſitis cuſtodire coeperunt, ſubegeruntque arva ſulcis, poſuerunt vineas, inſitionique arborum operam dederunt, caetera. En primigenii *occupationum* modi, ſeu prima ratio non pariundi quidem dominii, ut aliqui cenſent, ſed diſtinguendi. » *Ut autem legitima dici agri » alicuius proprietas poſſet non requirebatur ſolum, ut nullius » ager eſſet; ſed ut ea tantum agri pars occuparetur, quae » indigentiis levandis ſufficeret.* (Quo enim iure protendi occupatio poterat, ultra quam ſatis erat, quum alii conſulere ſibi poſſent vacuae portionis adprehenſione?) » *Deinde oportebat, ut in poſſeſſionem illius non vana quadam » ſpecie, ſed labore & cultu occupans proficiſceretur.* (Quo enim iure permiſſa eſſe poterat agri alicuius tibi inutilis, damnoſa aliis occupatio?) *Contract ſocial* chap. 9. Sileo caetera, quae ad hanc rem attinent, ne falcem mittam in feraciſſimam meſſem ICtorum.]

beſtias alendas, aliaque generis eiuſdem. Profecto omnibus modis paranda huic malo medicina eſt non a privatis ſolum hominibus, ſed ab iis praeſertim, qui rem publicam moderantur; ſecus ingenitum dominii ius frangitur. Atqui haec latius perſequar inferius.

§. XLVII.

Dominium (*a*), de quo loquor, ad Hobbeſianum ius in omnia referre potes, ſi alia ac ipſe fecit ratione, illud tibi placeat explicare. *Natura*, inquit Hobbeſius (*b*), *dedit unicuique ius in omnia, hoc eſt in ſtatu naturali unicuique licebat facere quaecumque, &*

(a) Mirari licet, quae ſint a Philoſophis, atque ab ICtis de dominio animadverſa, quae traditae obſcuriſsimae, aut falſae notiones. Grotium, Pufendorfium, Kulpiſium, Lokium, Gundlingium ipſum non excipio, tametſi ſcribat *meras* λογομαχίας *hic occurrere uno dominium ſic, altero aliter definiente. Iur. Nat. ac Gent.* cap. XX. §. 4. Rem paullo clarius explicat Titius in *Obſerv. in Pufend. de off. Hom. & Civ.* lib. I. cap. XII. obſerv. 278. Crederem dominii vocem iuri, de quo dixi §. XLV., eſſe conformiorem. Ob hanc cauſſam dominium olim *auctoritas* vocabatur, ut iam docui. Sic in Cap. XII. Tab. *de Uſucap.* ſancitum erat. *Uſus & auctoritas fundi biennium eſto;* nempe bienni poſſeſſione proprietas fundi aquiratur.

(b) *De Cive* cap. I.

in quoſcumque libebat , & poſſidere , uti , frui omnibus , quae volebat , & poterat . . . . Iure omnium in omnia alter iure invadit , alter iure reſiſtit : ex quo oriuntur omnium adverſus omnes perpetuae ſuſpiciones & ſtudium . Hinc . . . . negari non poteſt , quin ſtatus hominum naturalis . . . . bellum fuerit . . . . & bellum omnium in omnes .

§. XLVIII.

Atqui ius quodcumque nullum eſt in conflictu iuris alterius & aequalis ſumtum. Ius habes repetendi centum nummos ab aliquo : ſi huic alios centum debes , mutua haec iura ſe deſtruunt . Iam vero eadem cum Hobbeſio inſtituenda oratio eſt. Ius omnium in omnia conceſſum cuilibet oppugnatur a contrario & aequali iure aliorum. Ius ergo inane eſt & commentitium , inquit Gerdilius (*a*). In quo tamen ipſe Hobbeſius conſentit (*b*). Iam vero ſi res ita ſe habet aut reiiciendum ius in omnia , aut ad univerſale dominium , de quo dixi , revocare iſtud neceſſe eſt .

(a) *Diſcours Philoſophiques ſur l'Homme* .

(b) Cit. cap. I. §. XI.

§. XLIX.

Modus autem dominii illius diſtinguendi, in quo cardo vertitur difficultatis, hominum indigentiis & fini, cuius cauſſa conditi ii ſunt, accommodetur (*a*). *Terra commune eſt mortalium omnium patrimonium*, inquit Antonius Genuenſis (*b*). *Si quis interroget, quo mihi calceos ſuam, aut veſtem, quantum communium pellium, lanarumque accipere fas eſt: huic quaeſtioni a natura ipſa exitus atque terminus eſt praefixus. Pedem videlicet metitor corpuſque: is iuris occupandi terminus eſt, qui corporis. Latior ſi ſit calceus aut veſtis, & magno cum incommodo diffluet, & cum aliorum aequum ius habentium iniuria tibi induitur. Podagra, inquis, aut callo laboro: difficilis ſum reſpirationis. Secato latius: nolo premaris; ſed ita tamen ut calceus ſit, non navicula: ut veſtis, non aula. Nonne intelligis naturam reluctari? Ut ſis & bene ſis, haec illa tibi parat, non ut iis obruaris*. Age nunc doceat Hobbeſius naturalem ſtatum, ut verbis utar quam uſi-

---

(a) Vide Annot. ad §. XLV.

(b) *Diſciplin. Metaph.* tom. IV. c. XV. §. 31.

tatiſſimis & ſuis, ſtatum belli omnium in omnes eſſe. Quis ei concedet iſtud, quiſque probabit?

§. L.

Eſſet, ut ipſe dicit, ſi ſolum ſpectantes facta, ius ipſum naturae negligeremus. Sane quid docet aliud tota ferme nationum hiſtoria? Iacere videmus leges, & homines quaſi a fluctibus tempeſtatum a permotionum impetu iactatos ſpirare iram, caedes, ruinas, & ſi quid eſt huiuſmodi. Ultores fuiſſe ſcimus (*a*) populos fere omnes Europae imperio a gentium & urbium domitoribus adiectos, qui nondum ſub imperii alicuius iugum miſſi fuerant, aut iugo imperii ipſius aliquantulum colla eripuerunt. Bella pariter horrida bella iamdudum fecerunt vagae Latii & Graeciae gentes, fecerunt Graecae & Romanae reſpublicae. Nihil ut dicam de Genuenſi, de Florentina, de Piſana caeteriſque huius Italiae noſtrae, quarum quum legit paullo diſſitas hiſtorias vere ſocialis homo, non temperat a lacrymis. Remota com-

(a) Veterum Scriptorum plurimi ultionem iuris naturalis eſſe docuerunt. Eos memorat Grotius de *J. B. & P.* lib. II.

memoro, ne latum magis & altum vulnus faciat propinquiorum narratio. Sed explicandum tertium ius eſt, quod quaerebatur.

§. L I.

Eſſent iura, quae habemus libertatis, & dominii inutiliter data, ſi defendi non poſſent. Quis igitur dicat iuſtum non eſſe illatam iuribus noſtris vim pari vi propulſare? *Eſt haec non ſcripta, ſed nata lex*, inquit Cicero (*a*), *quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus*. Ius autem iſtud commune hominum generi, ius *naturalis tutelae* dicitur.

§. L I I.

Itaque *nemo hoſtile aliquid in iura alterius aggreditor. Salus tui* (*b*), *niſi iure excidas, ſuprema lex eſto*. Hobbeſiana ſunt haec, inquis. Egone Hobbeſii placita adſciſcam, qui ſerio (quod iocans ridenſque aetate noſtra alius facit) iura ſubvertit omnia? Audi Hobbeſium ipſum lo-

(a) Orat. *pro Milone*.

(b) Intemeratas volo exceptiones omnes, quas dare hic poteſt Religio: de quibus h eologi.

quentem (*a*): *Iuris naturalis fundamentum eſt, ut quiſque vitam & membra ſua, quantum poteſt tueatur. Quoniam autem ius ad finem fruſtra habet, cui ius ad media neceſſaria denegatur; conſequens eſt, ut unuſquiſque ius etiam habeat utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, ſine qua conſervare ſe non poteſt.* Mihi cum Hobbeſio id conveniret, ſi ſententiam ſuam in officio continuiſſet. At latior, quam par eſt, & ſaepe iniuſta eius illatio, ex §. §. XLIII., & XLIX. Nulla eſſe poteſt iurium pugna in natura.

§. LIII.

Libertas, *dominium*, *tutela* iura ſunt ingenita, quorum aeque participes nos omnes facit natura. Nulla ſunt alia huiuſmodi, quae conveniant omnibus. Relinquitur ergo aequalia eſſe omnium iura in primigenia conditione.

§. LIV.

Inaequalia dixit recens quidam Scriptor (*b*) fidem ſervans cineribus Platonicorum (*c*).

(a) *Cit.* cap. I. *de Cive*.

(b) *Dell' inegualità naturale fra gli uomini* §. 3.

(c) *Hoc arbitror ius eſſe naturae, eum videlicet, qui melior prudentiorque ſit, imperare.* Plato in *Gorgia*.

Hic quum doceat ſecundum naturam eſſe ut excolatur a nobis ratio, cuius praeſidio bona a malis diſtinguimus, dignoſcimuſque quid iubeat, quid vetet noſtra omnium felicitas; ob hanc rationem concludit oportere ut ii, qui rationis cultum nec inire per ſe, nec perficere valent, doctiorem adeant, a quo erudiantur. Huic itaque erit eorum erudiendorum ius ſecundum naturam.

§. LV.

Sed vereor, ne dum iura primigeniae conditionis explicare adgreſſus eſt, homines ad adſcititiam quamdam a prima illa iam ad motos inconſulte conſideraverit, in quo peccant plerique rerum iſtarum Scriptores, ut dixi capite primo. Revera quum humanas praeſertim cupiditates ſpecto, vix arbitror tamdiu perſeverare homines poſſe in ſtatu naturae, quamdiu eorum aliquis ita doctior fiat, ut ignaros inſtituere iure & merito poſſit. Quibus enim rationibus perſuadere adverſarius vult toto eo temporis ſpatio, quod ad perfectiorem hanc humanae mentis evolutionem deſideratur, nolle homines a naturali illo ſtatu diſcedere? Quam provecta aetate mundus, quum primum Braſiliae &

Antillarum habitatores detecti a noſtratibus ſunt? Quae tamen eorum ignorantia, Dii immortales! Omittantur iſta (invita quippe in hoc loco verſatur oratio), concedamuſque hominum illorum alios aliis eſſe ſapientiores. Scire tamen vellem & diſcerem libenter quaenam ſit haec iurium aequalitas, de qua diſputamus? Eorum nempe de quibus dixi. Ut autem ſapientior aliquis ſit, ab educatione habet. Igitur ab hac quaeſtione, quae nunc eſt in manibus, ius ſeparare oportet ſapientioris.

§. LVI.

Aequalitatem iſtam ii etiam evertere conantur, qui ius & potentiam miſcent, ab eaque ius exiſtere ſecundum naturam putant. Athenienſium legati in concione Lacedaemoniorum (*a*) aperte profeſſi ſunt rem eſſe perpetuo naturae iure conſtitutam, ut imbecillior qui ſit a potentiore coerceatur. Hoc crepant eius, quem Homerum dicimus, ſcripta, quae legum naturalium illius aevi complexionem exhibent, ut placet doctiſſimo viro quem laudavi, Iohanni Baptiſtae Vi-

(a) Thucid. lib. I.

co (*a*). In eadem mente fuit Traſimachus apud Platonem (*b*). Paucis ius potentia definitum cernimus non a Graecis ſolum, ſed a Romanis etiam. Id ratum fixumque habere viſus eſt Macchiavellus (*c*); pro eoque pugnant Hobbeſius (*d*), Spinoza (*e*), Helvetius (*f*), aliique.

§. LVII.

Duas ego praecipuas cauſſas invenio, ex quibus effici forte potuit, ut longe lateque permanaret in gentes error iſte infenſiſſimus ſociali iuſtitiae, totique humanitati. Rudes & robuſti homines ad propriam utilitatem referentes omnia, quum phyſicam vim aeque proprietatem ſuam eſſe ac reliquae omnes, animadverterent, & proprietatem quidem addictam aſſertamque unicuique a natura; eo adduci ſe noluerunt, ut crederent limitibus vim illam circumſcribendam eſſe, eiuſque regulam adeſſe aliquam, a qua rege-

(a) *Principj di Scienza nuova*.
(b) *De Repub.* lib. I.
(c) *Il Principe*, aliiſque in locis.
(d) *De Cive*.
(e) In *Tract. Politico*.
(f) *L'Eſprit*.

retur. Hinc agi iure etiam morali illud omne iudicarunt, quod ob ſolam vim phyſicam agebatur; propctereaque irridiculo habuerunt preces & querelas imbecilliorum, qui ſe tuendi gratia laeſum ius lamentabantur (§. XLII.).

§. LVIII.

Alii agreſtes item & barbari & procaces, vel iſtis ferociores tametſi ad civilis vitae cultum traducti, quorum non ratio, non humanitas, non ſocialis virtus aliqua, ſed libido, ſed ultio, ſed ſceleſta utilitas dominabatur, ea *licere* omnia quae *libent*, id *aequius* eſſe quod *validius* & verbis & opere commenti ſunt. Horum doctrina & exemplo maxime quum plurimi ſe Deorum ſpiritu afflatos dicerent, ut omnium nationum docet hiſtoria; imperitum vulgus deceptum, illectaeque crudeliſſima titillatione gentes multitudine innumerabiles; iique etiam, quos ſtrenuos, quos fortiſſimos, quos heroas ſuorum iurium ignari homines appellarunt. Quid igitur mirum, ſi adeo veſana opinio invaluit *ius*, & *potentiam* non diſcriminari? Atqui ſi factis iura convellunt adverſarii, vafrorumque aut immanium hominum exempla firmiſ-

ſimis naturae legibus opponunt; id faciunt inſcite.

§. LIX.

Sane niſi univerſalis mundi lex quoſdam iniiceret *potentiae* fraenos, omnia eſſent omnium, nihilque proprium cuique; & libertatem & dominium & tutelam ludificans, nugaſque agens natura conceſſiſſet: quo quid dici poteſt ſtultius? At enim, inquit Hobbeſius, ſi duo rem eamdem appetant, ea fortioris iugiter eſt. Hoc mihi cum illo convenit, ſi factum non ius ſpectemus. At ille non facto, ſed iure etiam fortioris eſſe auſus eſt dicere: quod nec mihi placere poteſt, nec ulli Philoſophorum. *Vis*, inquit auctor *Iuris Polit.* (*a*), *eſt phyſica quaedam poteſtas, qua ſola nulla moralis facultas gignitur. Parere ei & cedere, qui cogit vi & minis, neceſſitatis eſt non voluntatis atque officii. Sumamus punctum temporis verum eſſe ius fortioris: iſtud quum vi maiori ſemper reſpondeat; ibi erit, ubi vis maior; ibi deſinet, ubi vis deficiet. Si fortior hoſtis tuus te improviſo opprimit, iure id facit: ſi vero bene*

(a) *Contract Social* Liv. 1.

proſpereque tibi ſuccedit, ut vi eum ſuperes; in te traiicitur ius illius. Quare ut iure aliquo gaudeas, illud unum ut fortior ſis poſtulatur. At quomodo vocari ius morale poteſt, quod perit vi phyſica pereunte (*a*)? Quae quum ſint nihil impedit quominus ſtabilita fixaque ſit iurium aequalitas in ſtatu naturae: ſiqua vero differentia cernitur, ea *phyſica* eſt, non *moralis;* ex eaque ius nullum exiſtit, quo homine homo praeſtet.

§. LX.

Iura iſta aequalitatis ſacra ſunto. Haec ſuperiores ipſi ſarta tecta ſervantor. Saepiſſime tamen qui praeſunt aliis, quaſi non homines hominibus imperarent, eos inhumane excipiunt, aut acerbius, quam par eſt, cum iis ſe habent. Similiter qui eſt in divitiis vel dignitate fulget aliqua, elatus & ſuperbus

---

(a) Pauca haec contra Hobbeſium, qui ut Principum gratiam inverecunde aucuparetur, ea commentus eſt, quae iura labefactant omnia generis humani. Cumberlandus, Cudworthus, Samuel de Cocceis, Pufendorfius, Daries, Boëhmerus, Heineccius, Genuenſis, Gerdilius, alii latiori eum oratione refellunt. Audivi ego quoſdam qui Hobbeſio ſuccenſebant ob inviſum Philoſophi iſtius nomen: dicebantur ab iis multa & magnifica, ſed pauca ad rem: nec enim aperire poterant quod perceptum, quod cognitum, quod comprehenſum non habebant.

alios contemnit & aſpernatur. Laedunt iſti profecto aequalitatem illam naturae. Quae eſt iſta humanorum iurium oblivioſa gloriatio umbrarum eorumque omnium confectatrix, quorum unum fundamentum opinio? Ridiculum & feminarum ac puerorum proprium hoc eſt; nec decet honeſtum virum, nec decet Philoſophum (*a*). Videſis de la Bruyere (*b*). Itaque ſi alium alloqueris, ſi alteri imperas aut praees, tros rutulusſve fuat, illud ſemper menti obverſetur te loqui, imperare te & praeeſſe homini, cuius ſimilis natura, cuiusque aequalia ſunt iura. Quid non efficeret boni inter homines iugis haec cogitatio!

§. LXI.

Quae ſcripſi in hoc capite, ea ſatis oſtendunt magnam eſſe vim decretorum Moralis Philoſophiae: nullum eſt enim eius placitum, θεωρητικὸν licet, quod viam non aperiat multiformi veritati, quae vitam moresque ad

---

(a) Iura aequalitatis mirifice coluiſſe ſcimus ſummum illum imperatorem Traianum, qui comitem ſe ob hanc cauſſam praebebat omnibus, ut Plinius refert.

(b) *Les Caracteres*, *ou les Moeurs de ce ſiecle*; Chap. *De l'Homme*.

honeſtatis iuſtitiaeque normam conformat. Sed hoc pacto rem perſequi fere infinitum eſt, nec oportet: nam turbatur ordo eorum, quae docere inſtitui γένεσεως idearum ſocialium placidus inveſtigator, & ſectator patientiſſimus viciſſitudinum humanarum. Quoniam ergo dixi de primigenio ſtatu hominum, qui ſocialis eſt; & de iuribus eorum cognovi, quae ſunt aequalia: viſum eſt mihi non modo opportunum & fructuoſum, ſed omnino neceſſarium praecepta mox tradere, & in unum locum colligere, quae natura praeſcribit, ut aequalitas iſta ſervetur, & maneat conſtituta inter homines neceſſitudo & copulatio.

CAPUT VII.

QUAE SINT GENERATIM PRAECEPTA OMNIBUS A NATURA, SEU DE MUTUIS OFFICIIS.

§. LXII.

Quum ſint a natura effecti homines ad ſocietatem, in qua iura cernuntur, ut dixi, & ſunt aequalia; hoc quidem eſt perſpicuum nec eam ſtare diu, nec iſta diu ferre poſſe

aequilibritatem ſuam, niſi contineant ipſi ſe abſtineantque actionibus, quae ſunt communi omnium copulationi contrariae, aut conſtitutam inter omnes aequalitatem violant. Porro actionum huius generis declinandarum neceſſitas (*a*) *Officium* dicitur; & is propterea officium facit duce quidem ac iubente natura qui eas declinat (*b*).

§. LXIII.

Habent item homines a natura, quod pluries docui, ut neceſſario aſciſcant doloris vacuitatem declinentque dolorem. Ergo ius etiam habent *κατ' οὐσιαν* ſpectati (ex cap. V.) ne iis ſine gravi & iuſta cauſſa

(a) Latet in hac neceſſitate moralis obligatio, ut in *morali hominis diſciplina* explicabo. Evolvi id iam explicavique ioci gratia in opuſculo quodam Venetiis edito: *Foglj periodici. Rifleſſione prima di Filatete ſu gli ſcrupoloſi.* Sed incoepta proſequi multae graviſſimaeque cauſae prohibuerunt.

(b) Frequentiſſima apud Stoicos officii vox. Nam huius ſectae conditor Zeno Cittieus librum *de Officio* ſcripſit Diogene Laërtio auctore in *Vita Zenonis*. Sed vocis illius ſignificationem non in eamdem ego ac Stoici ſententiam accipio, ut ſatis teſtantur quae Samuel Rachelius ad Cic. lib. I. *de Off.* & Iuſtus Lipſius in *Manuduct. ad Phil. Stoic.* lib. III. diſſ. 3. & ſeqq. ſcripſerunt. Porro cognitione officiorum, de quibus eſt ſermo, ea ſcientia continetur, quae *Ius naturale ſociale* dicitur: *ſociale*, inquam, ut illud a *privato* diſtinguam, cuius alibi mentionem faciam.

inferatur dolor (*a*). Hic aut a proximo aliquo motu in ſenſu oritur, aut a cognitione, vel praeſenſione inopiae tum rerum quae ſunt neceſſariae, aut afferunt iucunditatem; tum eius ex toto quod ſperari omnimode exigique ab iis poteſt cum quibus ſocietas coniunctioque ſervatur. Dolorem ſane ciens cognitio vel praeſenſio haec eſt: cum utraque enim triſtiſſimae eae imagines ac formae copulantur, quae ob reſpectum alligationemque idearum minime ab intima inopiae eiuſdem perceptione ſeiunguntur. Primum illum voco dolorem *ſenſus*: hunc alterum *ideae* dolorem dico: *intellectualem* alii, alii *moralem* appellant. His poſitis quomodo ex duplici hoc doloris genere officia manent omnia videamus (*b*).

(a) *Iniuria* factum id omne dicitur quod contra ius quodpiam fit (§. XLII.). *Iniuſta* ergo quaevis actio eſt, ob quam alii dolent alterutro dolore. Contra qui nihil facit eorum quae alienum ius violant, hunc *iuſtum* vocant. *Iuſtitia* ergo nihil eſt aliud niſi habitus actionum huiuſmodi declinandarum. *Socialem naturalemque* iuſtitiam intelligo, cuius haec mea definitio ab illa Ulpiani non diſcrepat lib. X. ff. *de Iuſt. & Iure*: Iuſtitia *eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi*. Quod ferme dixerat Cicero *de Fin.* lib. V. *Off.* lib. I. & lib. III. *ad Herennium*.

(b) Heic illam mihi videor videre opinionum ſtruem, pro quibus veluti pro aris & focis doctiſſimi etiam viri Au-

§. LXIV.

At enim ſubtilius evoluta ſunt iſta; ſed forte reddentur incerta. Quippe ſi res iſta

---

guſtanae praeſertim Confeſſionis digladiati ſunt ſtudioſe inquirentes principium, ex quo ea fluunt omnia quae conveniunt naturae, aut ab ea diſſentiunt. Adeo ne inficere ingenia potuerunt veterum ſcholarum reliquiae, aut *ſyſtematum* furor, ut docto hoc ſaeculo obſtrepere inanitatibus iſtis debeant literariae palaeſtrae, & caelum ita me Dii ament quaeſtibus impleri? Adeo hebetes ſumus, ut ſpiſſa volumina legamus verborum plena faciamuſque iacturam temporis quantivis pretii? Poenitet me dudum iis legendis navaſſe operam, quae ut dediſcerem coegit veritas coegitque amor rerum illarum, quas nullo amiciunt velo praeſtigiae vocabulorum. Neque ego is ſum ut res vetuſtate robuſtas calumniando, irridendoque velim pervertere. Crede enim mihi longe aberras a propoſito, ſi in fidem tuam & tutelam rancida haec ſumis. Scrutare, quaeſo, ea, quae libris exarata ſuper hac re innumeri Scriptores reliquerunt. Iſtos aut nihil aut falſum reperies dicere, vel quod ſatis non eſt, aut praeſtituto fini aſſequendo inutile. Collegit eorum ſententias, ut duos nominem, Samuel a Cocceis *Diſſ. Proemial. XI.* eumque imitatus eſt patientiſſimus Finetti. Res tota paucis & clarius abſolvitur. Humanam nempe naturam & qui ſint varii eius reſpectus diligenter inveſtigato. Inveſtigatio haec diverſa pariet officia. Quae te ſi unum, aut plura principia ponantur? Abſtractas barbaras teruncii faciendas diſputationes omitte, quae veritati, quae literarum guſtui ſpiritum praecludunt. Securior caeteris haec via. Audis ſubiraſci plurimos? Tace. Cachinnis & ſibilis exciperis? Diſſimula. Contra te calamus ſumitur tibique convicium fit? Ride. Si ſecus facias, *tenebrae*, ut aiebat ille, *conduplicantur*, *noctiſque*, *& nimbum occaecat nigror*.

e

ſe habeat, ut nemini inferendus ſit dolor quod hunc quiſque fugiat & aſpernetur natura: quid dubitamus affirmare nec belluas ullo dolore afficiendas, quum eadem ac homines ſentiendi facultate donentur? Par quum ſit ratio; ex alio fonte haurire officia oportebit, de quibus diſſerimus.

§. L X V.

Mihi videntur nec recte, nec argute concludere qui iſta obiiciunt. Digrediar parumper: deinde non multum haeſitans reſpondebo. Certum eſt colligari omnia conſerte contexteque a natura, ab eaque nihil agi temere quantulum poſſumus iudicare. Atqui ita comparati ſumus, ut doleamus rebus adverſis & aegri ſimus ex miſeria non hominum modo, ſed ſaepe etiam belluarum. Miſeratio iſthaec, qua permovemur omnes plus minus pro diverſa educatione, pro variis corporis animique habitibus, varioque etiam modo, quo reſpublica adminiſtratur; eo collineat, ſi hominum genus ſpectes, ut humani ſimus & contineamus noſmet, ne dolore alios aut morte afficiamus. At quum erga bruta miſericordes pariter ſimus; cur erga iſta in nos ipſos cadet inutilis miſeratio?

Cur inerit in nobis eorum perimendorum ius, ſi a malo quopiam iis inferendo ipſa nos abducit miſerationis vox?

§. LXVI.

Sunt qui ſibi perſuadeant nec immiſericordem ac durum, nec iniuſtum eum eſſe qui beſtias torquet ac mactat, quas aiunt hominum gratia generatas: *Quid oves aliud afferunt*, inquit M. Cicero (a), *niſi ut earum villis confectis atque contextis homines veſtiantur . . . Canum vero tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio tantumque odium in externos, tanta alacritas in venando; quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipſa terga declarant non eſſe ſe ad onus accipiendum figurata: cervices autem natae ad iugum: tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda. Longum eſt mulorum perſequi utilitates, & aſinorum, quae certe ad hominum uſum paratae ſunt. Sus vero quid habet praeter eſcam? qua pecude quod erat natura ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura foecundius.*

(a) *De Nat. Deor.* lib. II.

Quid multitudinem ſuavitatemque piscium dicam? quid avium? Ad haec: multa ex beſtiarum corporibus remedia morbis, & vulneribus eligimus; atque ab earum diſſectis cadaveribus tota mirifice illuſtratur ἀνατομή corporum humanorum. Praeterea nulla inter homines & animantes caeteras coniunctio & caritas intercedit: nec enim communis utriſque ratio eſt, nec communia habent vocabula, quae mentem interpretentur. Porro abſque mutua ſocietate nullum mutuum ius, lex nulla cernitur commendatrix miſerationis. Itaque iniuſtus is non eſt aut immiſericors qui belluis ad libita utitur, aut eas torquet ac mactat. Quin hominum bonis vitaeque exitio eſſet earum copia & numerus, niſi de medio tollerentur. Videatur Gaſſendus in Syntagmate Philoſophiae Epicureae (*a*).

§. LXVII.

Haec paullo ſpinoſiora eſſe confiteor, ſed ut aſſenſum omnem praebeam non cogunt. Principio illud unum efficere mihi videtur M. Tullii argumentum, ut demonſtret maxi-

(a) Part. III. c. XXVII.

me ſolertes homines fuiſſe in lucro capiundo a pecudibus: quod nec fecerunt hactenus, nec facient in omne poſterum tempus bruta; quia ſolertiae humanae expertia ſunt natura. Nec perſuadere ad veritatem poteſt, ut reor, hominum conſervationi & felicitati plane omninoque neceſſarios eſſe improbos verbi cauſſa bovum, & mulorum labores, neceſſarium eſum ſuillarum carnium & bubularum. Permulta enim commoda ex beſtiis profecta homini concedo: at neceſſitatem commoditatum iſtarum ut ſit & beatus ſit nullo prorſus modo intelligo. Eligantur ſi placet ex beſtiarum corporibus remedia, & fructuoſiſſimas nobis ſuppeditet notitias earum diſſectio: num plane omninoque neceſſe eſt ad vivendum aut ad beate vivendum, ut floreat brutorum ἀνατομή, & medica ars belluarum diſpendio colatur? Incerta haec quis poterit ratione certa facere? Nec movet me plurimum locus alter, quem probare oportebat: aliter explicari quod quaeritur non poteſt. Certum eſt belluas aſciſcere voluptatem, ut dixi, doloremque aſpernari: minimeque dubitanda proprietas haec eſt quam habent natura. Sed

proprietati & iuri eadem reſpondet idea. Iure ergo utuntur ſuo ſi ſequantur quod placet, ſi fugiant quod dolorem creat. Oppones in Phyſicis nos verſari quum ſermo eſt de brutis, quae moralia quaevis iura ignorant, quia ignorantia ſunt obligationis & legum. Probatur id etiam mihi ſi vis. Sed quum omnis natura ſit conſervatrix ſui, idque habeat propoſitum, ut inquit Cicero (*a*), quaſi finem & extremum ſe ut cuſtodiat in quam optimo ſui generis ſtatu; enarra mihi qua tandem ratione confirmes a natura, qua nihil actum fruſtra, licere ut atrox ſis in bruta quae legem ſe tuendi ſequuntur, ſed Legem ignorant? Nullum frango, ais, morale ius belluarum. Eſto: at nec frangere te legem ullam naturae, qua omnia continentur, probandum eſt. Detur denique ita augeri belluas poſſe, ut tandem in fortunarum ruina, exitioque vitae humanae ſui conſervationem quaerant. Tota res tamen adhuc vacillat & claudicat. Etenim illud hinc ſequitur eas de medio tolli poſſe iure belli, quae detrimentum quodpiam bo-

(a) *De Fin.* lib. V.

nis vitaeque adferunt. Sed ad alias quod ſpectat; parum aut nihil hoc argumento probatur.

§. LXVIII.

Dices te non poſſe intelligere quomodo hallucinati ſint omni aetate homines, ut ne ſomniaverint quidem exercere ſe iniuſtum imperium in bruta. Huc ne me vocas? Priuſquam reſpondeo doce me, unde ſit imperium huiuſmodi? Hoc ſcire deſidero. Num ab excellentiori natura (a)? Quid ad rem? Admiramur & ſuſpicimus qui excellit, non ei ſubiicimur. Num a voluntate regentis hanc univerſitatem Dei? Cedo mihi non dubia huius voluntatis ſigna. Incidis in ſalebras? Quid eſt ergo quod me impediat dicere totum hoc hominum imperium in bruta purum putumque fortioris ius eſſe Hobbeſianum? Ut vides controverſa res eſt & plena diſſenſionis. Crederem ab una voluntate Conditoris in libris Sacris patefacta (*b*) eruendum eſſe ius quod quaerimus.

(a) Ob hanc cauſſam cecinit Ovidius *Metamorph. I.*

Pronaque quum ſpectent animalia caetera terram
Os homini ſublime dedit caelumque videri.

(b) *Geneſ.* cap. I.

Momentis enim ab una ratione ductis noctem quamdam eſſe offuſam timeo, quae lucem eripit veritatis (*a*). Atqui iam ſentio me lon-

(a) Hac de re diſputatum eſt aliquid a Maupertuiſio in ſuis *Epiſtolis Philoſophicis* Epiſt. VI.. Aliquanto latior eſt Burlamachii oratio eiuſque annotatoris De Felice *Principes du Droit de la Nature & des Gens* tom. IV. cap. VII. Sileo caeteros. Illud animadvertere neceſſe eſt admoneri nos ab iis ipſis, qui de imperio iſto in bruta non dubitant, ut iure ea perimendi temperanter utamur, declinemuſque ſaevitiam quum utimur. Vide Lyonetum *Traité anatomique de la Chenille*, cui adiicere graviſſimos Theologos poſſem. An non audis quae iis excidunt miſerantis naturae voces? Hactenus brutorum partes dubitando amplexus ſum, non definiendo. Ioculare egomet reor derideoque quum legitur fuiſſe quoſdam Aſiae populos, qui publica hoſpitia beſtiis curandis erigerent; fuiſſe nationes alias quae ſplendidas mellis epulas quotannis inſtruerent muſcis, aut fructibus frugibuſque veſcerentur ne beſtias perimerent; fuiſſe denique tam anxiae miſerationis homines ut cautim deambulare vellent, ne vermiculos forte aliquos contererent pedibus. Hoc vellem tamen ac vehementer cupio ne homines immiſericordes & duri nimium ſint in bruta, ut aliorum hominum malis & rebus adverſis magis magiſque adſueſcant permoveri. Quod monent etiam Bonnettus *la Palingénéſie Philoſophique* part. XV., & Plutarcus *Cato Maior*; atque *de ſolertia animalium*, ubi *inhumanitatem & ſaevitiam inde ad homines veniſſe* docet, *quum ii ſe adſueſeciſſent ſemel guſtu caedium percepto in venationibus ad ſanguinem & vulnera animantium aequo animo ferenda gaudendumque iis trucidandis . . . Qui primus interfecit urſum aut lupum laudem invenit: deinde bos aut sus, quod propoſita ſibi ſacra guſtaſſet, cauſſam ſuae necis praebuit. Hinc iam cervi, lepores, capreae eſui haberi ceperunt, fecerunt-*

gius eſſe provectum quam propoſiti inſtituti ratio poſtulabat. Igitur aut ſunt forte aliqua etiam erga beſtias officia ob ſenſum quo pollent; aut ſi nulla eſſe vis, id in abſolutum imperium conferre oportet quod nobis in ipſas eſt divina conceſſione. Quid ergo impedit quominus mutua hominum officia ex ſtabilito fixoque principio hauriam?

§. LXIX.

Ius quiſque habet, ne ei dolor *ſenſus* afferatur. Nemini ergo percutere quemquam aut eum vulnerare vel eius ſalutem laedere quacumque tandem ratione id faciat, multoque minus interficere fas eſt. Maior autem aut minor ob hanc etiam cauſſam aeſtimanda laeſio iuris alieni, prout maior erit aut minor ortus a percuſſione, aut ab inflictis vulneribus dolor: iccircoque maximam eſſe iniuriam dicemus ſi mortem percuſſio aut vulnus pariat. Quum enim tibi ius ſit ne do-

---

que ut oves etiam & canes adeo alicubi, equique comederentur. Denique cicurem anſerem & columbam contubernalem non alimenti cauſſa & famis ſedandae ſicut feles, ſed voluptati obſonantes cum dilaniarent; quidquid in natura eſt truculentum & efferum roboraverunt, & rigidum atque ad miſericordiam non flexile reddiderunt: humanitatem autem maxima ex parte hebetaverunt.

lore ullo afficiaris multo erit magis ius ne quis te perimat. Tametſi vero officium poſtulet ut a percuſſione, a vulnere, a morte abſtineas: ſubeſt tamen aliquando gravis & iuſta cauſſa, ob quam percuſſionem & vulnus & mortem dare alicui inſons potes; quum nempe iura tueri quae habes & aequali vi alienam vim cogeris propulſare. Vides fulgentem hoſtis tui gladium, quo tibi mortem intentat; quis audeat dicere nefas eſſe vitae tuae conſulere etiam cum adgreſſoris caede ſi opus ſit? Quid perſpicuum magis, ut iam docui §. LI., quam licere armis, & vi ius tuum defendere, quod eſſet inutiliter datum ſi defendi non poſſet? Sed ſunt quaedam officia etiam adverſus eos ſervanda, a quibus iniuriam huius generis accipimus: eſt enim ulciſcendi tuendique ſemet praeſcriptus a natura modus. Docebo autem iſta in opuſculo altero de *Morali hominis diſciplina*.

§. LXX.

Unicuique ius eſt ne *ideae* dolore afficiatur. Itaque ius etiam habet ne res ad vitae uſum neceſſarias aut opportunas ad iucunditatem quis ei ſurripiat: quod latiſſime

patet, & bona omnia quae vocant fortunae complectitur. Non defuiſſe ſcio maxime religioſos homines qui re familiari, qui pecunia, qui praediis, qui bonis pene omnibus ſpoliari ſe non modo patienter, ſed alacriter tulerunt. Verum taedebat iſtos rerum humanarum. Omnes qui tale quid ab aliis patiuntur non vacant generatim moleſtiis & curis; ipſaque haec iniuria eſt apta per ſe dolori inferendo, quod plane ſufficit ut officio vehementer repugnet. Haec licet veriſſima eſſe cenſeam; danda eſt tamen aliquando neceſſitati venia, quando quis ita ad incitas redigitur, ut auferre alienum quid cogatur ne exeat e vita. Haec tamen animadverto hoc loco inutiliter: vix enim agnoſcit neceſſitates huiuſmodi naturalis conditio, quas invexit ſub civili imperio diſpar nimium diſtributio bonorum.

§. LXXI.

Actiones quibus ab hoc officio diſceditur *furta*, *rapinae*, *latrocinia* dicuntur. *Furem* vocant qui rem alienam occulte aufert lucri faciundi cauſſa, ut Iuriſconſultus docet (*a*).

(a) In lib. I. §. *Furtum ff. de Furtis*.

At neſcio an ſumi heic debeat *lucri faciundi* propoſitum. Gemmam quis tibi ſurripit non quidem ut in lucro ſit; quippe quam cito in amnem proiicit: illum ne renuis furem dicere? Si vero auferat aperta vi, hunc *raptorem* appellant. Contra *latrocinantis* verbo ideam adiungunt eius qui alium vexat acerbius & perimit, ut furetur. Quare publicis latrociniis bella iniuſta comparat Daries (*a*); atque ob hanc cauſſam & Alexander ſi iniuria cum Perſis, aliiſque gentibus bellum ſuſcepit, a Seneca *latro*, *praedo* a Lucano dicitur (*b*), & initia Romanae urbis a latronum colluvie fluxiſſe arbitrabatur Carneades, quum dixit (*c*) Romanis: *ſi iuſti velint eſſe ad caſas eſſe redeundum, & iacendum in miſeriis & egeſtate.*

§. LXXII.

Socialis ſeu *opinionis* vita pendet maxime a fama, cuius cauſſa Chryſippus & Diogenes, ut ait Cicero, detracta utilitate ne digitum quidem porrigendum eſſe dicebant; quamvis hominis ingenui ſit ac liberaliter edu-

(a) *Inſtit. Iuriſprud. univ.* §. 363.

(b) Apud Grotium *De Iure B. & P.* lib. II. c. I.

(c) Apud Lactantium lib. V. *de Iuſt.* c. XVI.

cati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, ab omnibus denique. Hinc omnes qui ſanae mentis ſunt nihilque ducunt praeſtantius ac magis neceſſarium homini, qui inter alios homines vivit, nominis dignitate ac fama; ab aliis repoſcunt ac ſperant ne vitam iſtam extinguant, aut violent: quod ſi contingat, id ferunt aegerrime. Nemo itaque alterum hunc *ideae* dolorem aliis afferat aut *calumniator* falſum obiiciens crimen, aut inique patefaciens quod occultum erat, *maledicus*. Nullus eſt hoſtis capitalior calumniatore, nullus timendus magis, quam is qui alienam famam lacerat ac labefactat (*a*). Quotquot Socratem calumniati ſunt eos abominabantur ac horrebant, ut ferunt, populares ſui; tantaque in eos aerumnarum facta irruptio fuit, ut deſperatione dominante flagitioſiſſimam vitam ſuſpendio finierint. Quanti intereſſet omnium, ſi calumniam, ſi obtrectationem cautius caverent! Sed verae utilitatis ignari homines &

(a) Famae haec eſt apud noſtrates partitio, ut alia *intenſiva* ſit (des verbis veniam bonus oro) qua gaudent qui ob egregias dotes longe inter alios excellunt; alia *ſimplex* quae eorum omnium eſt, qui pro non malis reputantur.

varia & multiplici ratione hoc officii praeceptum ſpernunt.

§. LXXIII.

Dolori huius generis occaſio ſimiliter eſt, quum contumeliam in alios dicimus, quum eos geſtu aut motu deridemus, quum eorum verba aut facta inique perverſeque interpretamur: aliquando etiam quum *mendaces* ſumus; ideſt quum aliam, quam quae in animo eſt, noſter ſermo ſententiam prae ſe fert ut decipiamus alios, qui caeteroquin ius habent audiendae veritatis. Candorem animi quiſque expectat ac vult ab iis, cum quibus loquitur: nam voces ſunt ſoni articulis diſtincti, quibus intimos ſenſus animique affectiones patefacimus; iiſque mendacio obtectis ad decipiendum, vinculum omne frangitur ſocietatis. Huc revocarem vulgatas illas ambiguitates & *reſtrictiones*, ut vocant, *mentales*, quae mendacii naturam ſervant, quaſque miror ſummopere patronos inveniſſe noſtrates aliquos, quum non invenerint εθνικους. *Per ſe quidem omne in malo vitioque mendacium eſt*, inquit Ariſtoteles (*a*).

(a) *Ethic.* lib. VI. c. VII.

§. LXXIV.

Sunt quibus videtur licere interdum quod verum non eſt loqui, ut ii faciunt qui feſtivis iocis coetui aut convivio dant vitam. Plato ipſe, qui non ſolum Diis, ſed hominibus odioſum mendacium vocat (*a*); illud concedit moderatoribus reipublicae ad communem civium utilitatem, & privatis hominibus tamquam remedium aut contra hoſtes aut ad amicos abducendos a ſcelere (*b*). Hoc idem Menander, Piſander, Diphilus & alii ſenſere ex antiquis (*c*). Recentiores taceo qui innumeri ſunt (*d*). Hac de re acerrima olim viguit hodieque inter doctos viget diſputatio. Multis qui verum fingit aut ioci aut magnae cuiuſdam innoxiae utilitatis gratia *falſiloquus* eſt, *mendax* non eſt: hinc in omni mendacio fallaciloquentiam contineri aiunt, non in omni fallaciloquentia mendacium; quippe quam non permiſſam modo, ſed ali-

(a) Dial. II. *de Repub.*

(b) Dial. III. *de Repub.*

(c) Apud Stobeum Serm. XII.

(d) Grot. *De I. B. & P.*, Pufendorf. *de Officio H. & C.*, Heineccius *de I. N. & G.* §. 200., alii. Evolvantur Uffelmannus *De Iure quo homo homini in ſermone obligatur*, Brunnemannus in ff. ad L. Corneliam *De Falſis*. Schaumburgius in *Annot. ad Struvii Iuriſp.* ad tit. *De Iudiciis publicis*.

quando praeceptam Gundlingius, aliique arbitrantur. (*a*)

§. LXXV.

B. Auguſtinus qui ad Conſentium ſcribens hanc quaeſtionem *latebroſam* dixit & *inter doctos alternantem*, plane omninoque negat licere mendacia quaevis, quae turpia ſunt ſuapte natura (*b*); eiuſque opinionem ſuffulciunt Theologorum ferme omnium occidentalium ſuffragia, inter quos Dupinus praeſertim in opuſculo quod *de Veritate* ſcripſit. Zieglerus quoque, & Daniel Whitby (*c*) eorum ſententiae faſces ſubmittunt. At enim in quaeſtione ancipiti tu quid ſentis? Dicam loco opportuniori. Interea ſcias odiſſe me

. . . . Ceu clauſtra Erebi quicumque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore claudunt (*d*).

(a) *De Iure N. & Gent.* c. IV.

(b) Vide Ioh. la Placette *dans les divers Traités ſur des matieres de conſcience* tract. I. ch. III. Mendacium cerni etiam poteſt in opere quod diſſentiat ab eo quod ſuapte natura ſignificat; in ſilentio ipſo cerni poteſt, quum aliorum intereſt ut loquamur.

(c) In *Ethica Chriſtiana*.

(d) Homerus *Iliad.* IX. *Mentiri ſervile eſt dignumque apud omnes homines odio*, inquit Plutarcus *De liberis educandis*. Nec vero putandum ob hanc cauſſam eſt non licere interdum ambigua verba uſurpare, fabulas, apologos ad alios inſtituendos. Haec enim nec mendacia, nec fallaciloquentiae ſunt.

§. LXXVI.

Dolor ideae, de quo dixi hoc capite, ex alio etiam fonte in nos permanat. Si quis mentem tuam erroribus ac fallaciis forte imbuit circa ea ad quae adipiſcenda impellit ipſa natura, & corruptione opinionum ita infecit ut acrem licet in omnia bona intendens aciem, non ſemper videris quae aptiora erant ad beate vivendum; horum conſcientia vel recordatio aegritudine ac moleſtiis non vacat: nec enim viribus aut velocitatibus aut celeritate corporis res neceſſariae aut utiles dignoſcuntur, ſed intelligentia & conſilio, quibus orbari ſolet mens ab iniquis aut diſtortis notionibus decepta. Hinc Romani quum infinitam mentis utilitatem viderent, hanc ipſam nominarunt Deum & in Capitolio conſecrarunt (*a*). Similiter ſi incitamentis alterius exiviſti e poteſtate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum eſt, & effraenatus raptus forte fuiſti a libidine, ab iracundia, ab odio, a vanitate; illatam tibi iniuriam doles quum reſipiſcis. Cave igitur ne aliorum mentem aut cor de-

---

(a) Cicero lib. II. *De Nat. Deorum*.

praves: nam ſi alienam famam violare, aut corpus laedere, aut rei familiari detrahere aliquid repugnat naturae; multo repugnabit magis violare animum qui eſt hominis pars praecipua.

§. LXXVII.

Generatim qui contra officia haec facit quae explicavi, is reſarcire iniuriam debet, quoniam non ſolum turbaretur ſocietas, ſed eſſent inutiliter data iura omnia generis humani. Iniuria illa quaecumque ſit *damnum* dici poteſt, quia demit quod alienum eſt, ut Grotius (*a*), & Koelerus (*b*) docent. Sed quae eſſe poteſt reſarciendae iniuriae ſeu damni reparandi ratio? Dicam paucis: *Tantum reſtitue quum fieri poteſt, quantum iuris alicui detractum a te ipſo eſt*. Bona fortunae abſtuliſti? Eamdem rem alienam redde niſi ſit conſumta: ſecus rei pretium ſuffice. Si primum, *reſtitutio eſt*: ſi ſecundum, *ſatisfactio*. Eripuiſti alicui vitam, aut membrorum valetudinem, vel debilitaſti? Quum res violata aequale pretium non habeat, praeſtare omnia detrimenta neceſſe eſt quae hinc con-

(a) *De I. B. & P.* lib. II. c. XXVII.

(b) *Iuris naturalis* §. 769.

ſequuntur. Bono alicuius nomini labem aſperſiſti falſo obiecto crimine per calumniam? Datum damnum omnino repara. Occultum crimen vulgaſti? Eadem lege obſtringeris: unicuique enim ad bonam famam ius eſt quouſque eam facto non amiſerit ſuo. Veritatem mendacio occultaſti quae aperienda erat? Praeſcribit officium ut aperias. Sed de his Theologi multo uberius. Contingere etiam poteſt, ut iuſſu, conſilio, conſenſione, patrocinio, permiſſu, aut alia ratione alieni damni ſis cauſſa. Dicam ad quae tenearis quum de *imputatione* actionum diſputabo.

§. LXXVIII.

Quae huc pertinent omnia vel quae dicta a me hactenus ſunt, eo Evangelii & naturae effato continentur: *Quod tibi fieri non vis, alteri id ne feceris*. Notum univerſis nationibus, ſaltem quae barbarae & efferatae penitus non fuerint ἀποφτεγμα iſtud, quod & Plato, & Ariſtoteles, & Cicero, & Graeci, Latinique Philoſophi alii copioſiſſime explicaverunt. Ego quod aſciſcit natura quodque declinat intuens, ad hoc aliud retuli: *Nemini dolorem inferas ſive ſenſus, ſive ideae is ſit*.

CAPUT VIII.

DE MUTUIS VIRTUTIBUS GENERATIM.

§. LXXIX.

Officia de quibus diſſerui communia & immutabilia ſunt, quum nitantur eadem ſemper & una ſociali natura; & praeterea ad eum modum ſunt neceſſaria, ut ſine ipſis hominum neceſſitudo omnis ac conſociatio tollatur. Verum non hoc ſolum poſtulat latiſſime patens omnibus inter omnes ſocietas. Conſcientia quippe aut ſenſus peculiarium indigentiarum quae cruciare coniunctos homines ceperunt, eo ipſos adduxit ut intelligerent ac dolerent etiam indigentias aliorum, quibus ut ſuppetias ferrent a nullo iuſtitiae officio cogebantur. At quum auxilii commutatio ſocialem vitam & refertam commodis ad beate vivendum & longe conſtituat feliciorem; ob hanc cauſſam proprius amor nixus ſpe tantundem adquirendi, eos impulit ut bene de aliis hominibus mererentur. Quo longius aberat ab ortu ſocietas, eo evadebant facilius animi ex ignorantiae

tenebris, ſeque in contemplandis rebus perſpiciendiſque ſolertius homines ponebant. Quare animadvertere progreſſu temporis debuerunt maximo ſe errore duci, ſi quidem ita eſſent animati ut iis ſolum opitularentur, a quibus idem auxilium poſtulari expectarique ἀμέσος poterat: ſaepe enim nec incrementum eſſet ullum propriae utilitati, nec aliorum praeſidio adiuvarentur. Hinc actuoſam illam facultatem animi, ob quam praeſto aliis ſumus, non circumdederunt utilitatis fructuſque cancellis parati ad levandas indigentias aliorum, tametſi nulla eos teneret proxima blandities aut ſpes commutationis. Ex quo vix dici poteſt quantum communis calamitas ſublevetur, quantoque felicior coniunctio congregatioque hominum ſit. Uſu rerum doctiores facti illud etiam intellexerunt proprium bonum ſaepe eſſe contrarium bono communitatis, & detrimentum ſaepe afferre plurimis levamen neceſſitatis alienae, quae ſola opinione praeſertim contineatur. Itaque nondum fore omni ex parte beatam ſocietatem cogitarunt, niſi publicae utilitatis ſtudio ita arderent omnes ut quaecumque tandem ſe offerret occaſio, id

facerent ac molirentur ſponte ac libenter quod ad commune bonum confert, in eoque tamquam in faſtigio haererent. Hoc percepto ſicut *iuſtum* iam hominem dixerant, qui nullo alios dolore afficit ſive *ſenſus*, ſive *ideae* is ſit; ſimiliter eum *virtute praeditum* dixerunt, cuius in animo actuoſa & conſtans illa affectio reſidet, ob quam propoſito ſibi communi omnium bono tamquam fine in deliberationibus delectuque rerum agendarum operam navat omnem ad utilitatem ſocietatis. Quae quum ita ſint, definiri ſocialis virtus poteſt *habitus ea faciendi quae ſunt utilia ſocietati* (*a*). Igitur quum illud cordi eſſe debeat omnibus non ſolum ut ſocietas ſit; ſed ut ſuavis & grata & iucunda & felix ſit, ſingulos idcirco homines de

(a) Ut vides non hic ego diſputo de virtute quae profana, quae ſocialis non ſit, cuiuſque non infinita nobis exempla ſuppeditet Romani, Graecique Imperii hiſtoria. Virtutem, quam actuoſam vocat Cicero lib. II. *De Nat. Deor.*, a conatu & vi quadam ſeiungi non poſſe video, quam ob inordinatas animi cupiditates ſibi adhibeat neceſſe eſt qui ea ornari velit. Quo fit ut minime eos reprehendam qui generatim virtutem a vi dictam arbitrantur, ut Cicero ipſe *Tuſc. diſp.* lib. II., ut Iacobus Rouſſeau *Emile* t. III., ut Mandevillius procax ille vitiorum patronus: *La fable des Abeilles* t. III., ut alii.

aliena felicitate, aut miſeria ſollicitos eſſe oportet. Quod probe tenendum eſt, ne male agatur cum humana ſocietate. Iuſtitia enim, de qua dixi capite ſuperiori, facilius colitur virtute, de qua nunc diſputo, tum quia ut iuſti ſocialiter ſimus illud ſufficit, ſi ab actionibus quibuſdam abſtineamus, tum quia iuſtitiae praeceptis exequendis tribuit plurimum miſeratio, ut latius oſtendi in meo Specimine de Miſeratione (*a*).

§. LXXX.

At enim quae ſunt virtutes quae illam maxime optatam & expetitam omnium felicitatem parant? Una eſt, ut reor, cuius multa ſunt nomina. Quod enim Socrates, qui in hoc reprehenditur ab Ariſtotele (*b*), quod Menedemus Eretrienſis, quod Ariſto Chius de prudentia dixerunt (*c*); id ego quin ab ullo reprehendi timeam de *benevolentia* praedico, qua aliis bonum volumus & optamus. Haec anima eſt ſocialium virtutum: haec ſola pro varietate rei, in qua cernitur, in variam ſimiliter virtutum omnium formam

(a) Part. II. c. I.

(b) Lib. VI. *Ethic.* cap. ult.

(c) Apud Plutarcum lib. *De Virtute Morali*.

vertitur: huius qui habitum habent vehementiorem, *non mortales, ſed Di generaſſe videntur*, ut Priamus de Hectore loquebatur. Haec ſane benevolentia (*a*) ſi non adoleſcentulorum more ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius & conſtantia iudicetur, quod monuit etiam Cicero (*b*); tota in eo eſt ut omnium hominum calamitatibus doleat, iiſque opem ferre cupiat & velit, tametſi incommoda toleranda ſint aliqua, nec ullis precibus excitetur ut ſubſidio veniat indigentibus. Ob hanc praeterea felicitate alterius delectamur ut noſtra, & ſtudemus ſummopere quantum in nobis ſitum eſt, ut quiſque habeat quae ſunt opportuna ad melius beatiuſque vivendum. Igitur ſuſpicari non licet virtutem hanc quoties occaſio fert, ad utilitatem generis humani, Protei quaſi dicam more, vertere ſe in aliarum faciem, & formam omnem induere caetera-

(a) Amoris naturam & effectus latiori oratione proſequar in opuſculo altero.

(b) Lib. I. *Off.* Ad univerſalem hanc benevolentiam, de qua eſt ſermo, referri Chriſtiana Caritas poſſet, ſine qua virtus eſt plane nulla, ut D. Thomas 2, 2. q. 23. *a.* 3., & B. Auguſtinus lib. IV. *contra Iulianum* n. 17. docent.

rum. Quid ergo de iis dicemus, qui ventri ſolum & veneri ſerviunt, qui diffluunt inertia & otio, qui ſunt ſolis frugibus conſumendis nati (*a*)? Deſerunt ii profecto, ut ait Tullius (*b*), vitae ſocietatem quum nihil conferant in eam ſtudii, nihil operae, nihil facultatum; & praeterea digni ſunt, qui ab iis commodis excludantur, quae ipſis comparare poteſt induſtria caeterorum. Peccant ii quidem in benevolentiam erga alios, quae ſi actuoſa non eſt, penitus ſubmovetur. Haec igitur generatim praecipit ut illud degendae aetatis genus quiſque ſibi conſtituat, quo pro virili parte conſulat bono ſocietatis. Hunc locum ſuperius tetigi §. XXXIX., & tangam tertio. Plena eſt ſocietas hominum ocioſorum, qui officioſiſſimi quum ſint, turpi calliditate ſaepe deglutiunt, quae probis, doctis, induſtriis viris ſunt debita. Contra iſtos mea quidem ſententia numquam ſatis verborum eſt.

(a) *Cognatum eſt rationale omne, & naturae ipſius humanae ratio ab unoquoque hoc exigit ut quorumvis hominum curam habeat*, inquit M. Antoninus lib. III. §. 4.

(b) *Offic.* lib. I.

§. LXXXI.

Dum alios amas & ſimul adiuvas abſque ullo incommodo ac detrimento rerum tuarum, benevolentia iſthaec *humanitas* preſſius vocatur. Sic *humanus* eſt qui erranti comiter monſtrat viam, qui non prohibet aqua profluente, qui patitur ab igne ignem capere, qui conſilium fidele deliberanti dat, qui aeſtu languenti umbram non denegat, qui prolapſum erigit, qui ſinit quod non vult ipſe ut alter accipiat. Haec enim, & his ſimilia, ut inquit Cicero (*a*), *ſunt iis utilia qui accipiunt danti non moleſta*. Hinc dici communiter ſolent *officia innoxiae utilitatis*. Porro qui ab officiis iſtis diſcedit, is *inhumanus* eſt. Sunt qui latioribus finibus *humanitatem* & *inhumanitatem* concludi velint. Non repugno: nam de vocibus litem habere ſaeculo hoc decimo octavo non decet philoſophum.

§. LXXXII.

Quum aliis ex animo bene vis, eiſque adiumentum affers rebus, quae in tuo patrimonio ſunt, *liberalis* ac *benignus* es; quum

(a) *Offic.* lib. I.

opera praeſertim id facis, *beneficus*. Ego *liberalitatem* & *beneficentiam* conſidero quaſi nihil inter hanc & illam interſit. Meum etenim ingenium hoc ſemper fuit a ſupervacuis & acutulis diſtinctionibus abſtinere. Beneficentiae munera multo ſublimiora & ſplendidiora muneribus humanitatis ſunt, quod ex illis proportio quaedam felicitatis inter homines exiſtat, nec fieri poſſit ut ſcateat miſerorum ſocietas ſi diligenter colantur. Benevola autem actio qua alteri tribuis id quo indiget, aut efficis ut adipiſcatur quod ad eius bonum confert, *beneficium* dicitur.

§. LXXXIII.

Servanda eſt ratio multiplex in beneficio tribuendo, de qua dicat oportet qui artem vitae profitetur. Principio nullum praemium a beneficiis expectandum eſt; quum debeat eſſe gratuita largitio beneficiorum: ſecus ſi benignus es ut accipias, nec benefacies iis qui maxime indigent liberalitate aliorum, nec benevola erit actio qua beneficium impertis, ſed commercium quoddam, ſed ſpecies neſcio quae contractus, ſed fallax imitatio ſimulatioque liberalitatis. Praeclare C-

cero: *Dubium non eſt quin is qui liberalis benignuſque dicitur, officium non fructum ſequatur* (*a*). Et tamen ſi penitiſſimos receſſus qui in animis hominum ſunt, & novas ſemper regiones artium infinitarum quibus alios ſibi devinciunt, inviſere poſſemus; quotaquaeque nobis occurrerent beneficia, quae non omnino inficeret aperta commodi & emolumenti cupiditas! Fremo ut in infantes leo, hanc rem dum cogito.

§. LXXXIV.

Quamquam nulla expectanda tibi ſit remuneratio beneficiorum; illud cavere nihilominus debes, ne tibi obſit liberalitas qua aliis prodes: quod contingit quum maior eſt facultatibus. Certe huiuſmodi eſſe nequit benevolentia, qua erga alios tenemur ut iis conſulendo nos ipſos negligere debeamus, quum proprius amor dux ſit & norma quaedam alieni amoris. Quod ſi collata liberalitas hoc tibi detrimentum afferat, non benignus, ſed *prodigus* es ac diceris. Auctore Mandevillio nihil eſt ad bonum ſocietatis accommodatius *profuſione* (*b*): prodigi enim

(a) Lib. I. *De Legibus*.

(b) Lib. ſuperius cit. tom. I. *Remarque* (K).

largiuntur omnibus, quorum amplior hinc eſt commodorum ac voluptatum quaeſtus; neminique ii nocent, tametſi noceant ſibi. Sed quum omnium felicitas aeſtimanda ſit a beata vita individuorum, ſi pleraque in miſeriam incidant, non cerno ſatis quae tandem eſſe queat communis utilitas, aut qui fructus percipiantur a ſocietate. Accedit quod prodigi & largiuntur ſine delectu, & in leviſſimas voluptates profundunt, & aliorum ocium ſovent turpiter, & famulantur luxui, & alia his ſimilia adhibent quae bonum omne tollunt humanae conſociationis (a).

(a) Prodigus graece ἄσωτος dicitur quaſi qui ſe ipſum perdit. Diſſipare enim patrimonium perditio quaedam eſt ſui ipſius, quum ex patrimonio & facultatibus vivamus. Dicunt prodigi bona, quae habent, profundi pro arbitrio a ſe poſſe quum domini ſint rerum ſuarum: ſed erratur in nomine. Vide quae ſunt de dominio ſuperius dicta. Vitium quod parum eſt liberalitati contrarium, *avaritiam* vocant, cuius alibi turpitudinem ac perniciem explicabo. Occurrit menti in ipſo temporis veſtigio non iniucundum nec forſan inutile πρόβλημα: Omnes homines qui ubique ſunt quacumque in ora ac parte terrarum ab huiuſce terrae, quam nos incolimus, continuatione diſtantium; ii ne ad profuſionem an ad avaritiam propenſiores? Si proprium cuiuſque amorem ſpectes, vi cuius attrahimus ad nos omnia, nec ullis circumdamus finibus conſecutionem voluptatum; avari-

§. LXXXV.

Non ſolum obeſſe tibi liberalitas non debet; ſed videndum eſt etiam ne obſit iis ipſis, quibus benigne videtur fieri: *Non enim benefici neque liberales, ſed perníciosi iudicandi ſunt qui gratificantur cuipiam, quod ei damno eſt* (*a*). Das adoleſcenti libros plenos errorum & impietatis. Is quaſi e venenato poculo corruptelam bibit & propinat aliis: benignus ne an perniciosus fuiſti? *Exiſtimabis itaque*, ut docet Seneca (*b*), *utilitatem potius quam voluntatem petentis, ac dabis quae non tantum accipere, ſed etiam accepiſſe delectet*. Mirum quantum in hoc peccent iuvenes & feminae, & ii omnes qui inconſiderantes ſunt, quos ſatius eſſet nullum omnino beneficium dare, quam tanta cum pernicie ſaepiſſime largiri.

§. LXXXVI.

Hanc etiam tuetur cautionem beneficentia ut habeat delectum in beneficio largien-

---

tiam cariorem congruentioremque hominibus dices profuſione. At ego vereor ne paucis reſolvi res non poſſit: quo fit ut nihil hic doceam contentus doceri. Vide Ariſtot. *Ethic.* lib. IV. c. I., ibique Sylveſtri Mauri commentarios.

(a) Lib. I. *De Off.* dixit Cicero.

(b) Lib. II. *De Benef.* c. XIV.

do. Eum autem ſpernis ac negligis niſi benemerentes iis praeferas a quibus nullum commodum percepiſti, propinquos alienis, notos ignotis, pauperes locupletibus, dignos indignis. Nam quamquam neminem excludat liberalis benevolentia; inter eos tamen maior ſit oportet inter quos maior eſt naturae coniunctio, aut arctior quaevis alia copulatio. Adſit ergo in dandis beneficiis *iudicium* (*a*): ſecus temeraria & ſine delectu erit largitio, cuius *comes poenitentia*, ut aiebat Plinius (*b*).

§. LXXXVII.

Liberalitas qua peregrinos ac viatores benevole excipis eiſque accommodas de ha-

---

(a) Seneca lib. I. *De Benef.* c. XIV.

(b) *Ep. VII.* Quum beneficentia nihil ſit aliud quam benefaciens quaedam benevolentia, non decet beneficum virum oſtentare liberalitatem ſuam, aut in ea exercenda ſuperbiam, triſtitiam & aſperitatem prae ſe ferre; non decet procraſtinare in dando beneficio, ne videatur tarde feciſſe quia diu noluit; quin expectandum non eſſet ut obſecratione & precibus beneficium poſtularetur; non decet beneficentiam exprobrare quum benefecit, aut eam iactare inaniter, & narrare neſcientibus. In his peccant homines communiter; quia verae caritatis expertes quum ſint, nec alienis ſtudent commoditatibus, ut ſocialis virtus praeſcribit & iubet. Quotiquique Hobbeſiani non ſunt!

bitatione & victu *hoſpitalitas* dicitur. In exteras nationes iter habuerunt omni aetate homines vel utilitatis vel iucunditatis gratia. At quum nec erectae initio eſſent cauponae, nec hoſpitia conſtituta, divertere ad habitatores locorum debuerunt, a quibus alerentur. Hinc nata liberalis virtus, quam nunc commendo vehementiſſime. Aegyptii, quum Deos peregrinari crederent, virtutem hanc non ſine maxima religione coluerunt; ad eamque ſibi perſuaſerunt Stoici divino quodam ſpiritu homines concitari. Veteres Galli, Celtiberi, Atlantici, Aethyopes, aliique recipiendorum hoſpitum laude floruere nullo praetermiſſo caſtiſſimae benevolentiae officio. Item Romani, & Perſae, & Indi hoſpitales fuere in primis, & publica hoſpitia erexerunt ad peregrinos amiciſſime benigniſſimeque tractandos. Nihil de Germanis dicam, de quibus Tacitus (*a*): *Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur: pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit ..... Notum ignotumque quantum ad ius hoſpitii nemo diſcernit*. Similiter omitto

(a) *De Moribus German.*

exempla prope innumera, quae ſuppeditat Chriſtianae Religionis Hiſtoria.

§. LXXXVIII.

Caritatis quae latiſſime patet, & ad felicitatem ſocietatis omnino facit effuſio quaedam in advenas eſt *hoſpitalitas* (*a*), quam ii diligentius exercent, qui ſunt humani generis amantiores (*b*). Hinc barbaris omnibus commune ut hoſpites pellant auctore Eratoſthene apud Strabonem (*c*): quod quidem vitium & naturae & Evangelio contrarium *inhoſpitalitas* vocatur. Non eſſe tamen inhoſpitales crederem qui facile quemcumque adventantem hoſpitem non recipiunt. Cur enim benigne alacriterque ignotos omnes ſine delectu excipiam? Quid ſi ſcrinia expilent mea? Quid ſi vitae inſidias parent? Eſt etiam hoſpitalitati contrarium admiſſos hoſpites violare: nec dici poteſt quanta inſit in hoc flagitio immanitas quae publicam fidem ſecuritatem coniunctionemque omnem ſubvertit. Scythis & Meſſagetis lex erat

(a) *Eſſai ſur le mérite & la vertu de M. de Shaftsbury*.

(b) Vid. Ariſtot. lib. II. *Magnor. mora* c. II.

(c) Lib. XVII.

de advenis trucidandis. Quae lex Dii immortales (*a*)!

§. LXXXIX.

Liberalitas erga pauperes ἐλεημοσύνη vocatur. In ſtatu naturae ea ferme ſumuntur eſſe omnibus quae ſunt neceſſaria ut ſe ipſi ſervent ac tueantur. Quare nihil pertinere videtur ad huius diſputationis inſtitutum de liberalitate diſſerere, qua ſublevantur calamitates hominum indigorum. Itaque exprimam commodius in altero opuſculo hunc locum & attexam forte loco *miſerationis*. Magnitudo quaedam liberalitatis, quae uſitatam conſuetudinem & alienam expectationem vincat, *generoſitas*, *ſplendor*, *magnificentia* definitur. Hinc *generoſi*, *ſplendidi*, *magnifici* ii dicuntur, quarum eſt propria. Sed de rebus in quibus cernitur magnificentia dicam libro ſecundo: haec enim virtus poſt civile imperium nata.

(a) Vide Iohannis Schilteri diſſert. *De Iure hoſpitii apud veteres* adnexam eiuſdem *Manuductioni Philoſoph. Mor. ad Iuriſprud.* Frequentior apud veteres hoſpitalitas, quam paullatim defeciſſe ob invectum commercium cenſet Monteſquieu *De l'Eſprit des Loix* liv. XX. chap. 2. Sed quum detur noſtra etiam aetate hoſpitalitati locus; haec adhibenda in eos potiſſimum, qui magis indigent ut excipiantur.

§. XC.

Beneficium excipit *Gratia*, in qua, ut inquit Tullius (*a*), *amicitiarum & officiorum alterius remunerandi voluntas contineatur*. Triplicem ego gratiam diſtinguo; unam *labii*, alteram *cordis*, tertiam *actionis*: poſſumus enim gratiam *agere*, *habere*, *referre* ei a quo beneficium accepimus. Si primam abſolute ſpectes, & ſine adiunctione alterius, ea mendax quaedam ſignificatio eſt, quae malitiam & calliditatem prae ſe fert, virtus non eſt. Si ſecundam a priori illa divellas; quae eſt gratiae aperta utilitas in ſocietatem? Si tertiae oblivifceris quum potes, ſatis oſtendis te nolle accepta beneficia compenſare, nec ullam dare operam, ut gratus ſis ac videaris. Quae quum ita ſint quibus beneficium datum eſt, ii quum poſſunt factis, ſin minus dictis & animo ac voluntate beneficium pro beneficio reddere debent, & quantum in ipſis ſitum eſt benefacientibus prodeſſe. Sane vix conſtat ſine gratia ſocietas, cuius pendet maxime perfectio a commutatione officiorum: hanc autem commutationem re-

(a) Lib. II. *De Invent.*

moves ſi gratum animum tollas. Nam qui gratiam nullam habere aut referre vult ei qui benefecit: cur aliorum commoditatibus conſulet? Pauci praeterea benefacerent aliis cum alicuius commodi iactura, ſi nulla eſſet remuneratio beneficiorum. Quamvis enim dignior ſit quae laudetur beneficentia, cui nulla copulatur ſpes compenſationis, ut a me ſuperius dictum eſt, & a Barbeyracio etiam animadverſum; quum tamen hominum mentibus cimmeriam noctem intemperans φιλαυτία obducat, huiuſmodi eſt plerorumque ingenium, ut aliis beneficia dent gratiae perferendae cauſſa. Patet igitur manifeſtiſſime gratiae neceſſitas in naturali ſocietate. Videantur Ariſtoteles (*a*), & Cicero (*b*), qui *oratione pro Plancio* laudes gratiae ita ornate & eleganter praedicat, ut eum hic audire neceſſe ſit. *Quum omnibus virtutibus*, inquit, *me affectum eſſe cupiam, tum nihil eſt quod malim, quam me & gratum eſſe & videri*. Haec *eſt enim una virtus, non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas niſi voluntas gra-*

(a) Lib. VIII. *Ethic. c.* XIII.

(b) Lib. I. *De Off.*

ta in parentes? Qui ſunt boni cives, qui belli, qui domi de patria benemerentes, niſi qui patriae beneficia meminerunt? Qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam iuſtis honoribus & memori mente perſolvunt ..... Cuius opes tantae eſſe poſſunt aut unquam fuerunt, quae ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint? Quae certe ſublata memoria & gratia, nulla extare poſſunt.

§. XCI.

Gratiae opponitur *ingratus animus*. *Ingrati* autem ſumus ſi benemerenti gratias non agimus, nec habemus, aut non referimus quum facultas datur. Sunt etiam qui beneficia vituperent, aut ea pro maleficio habeant ut occaſionem arripiant non agendae aut non referendae gratiae. At huius facilitas, convenientia, utilitas tanta viſa eſt hominibus ad bonum ſocietatis; ut ii *ingratum* magis, quam *iniuſtum* horreant & exſecrentur; quamvis iniuſtitia evertatur ſocietas, infelicior ſolum ingrato animo fiat. Id ex eo forte eſt quod animi valde immanis ac barbari eſſe credant a beneficiis quae ferae ipſae ſentiunt non commoveri. Odi ego pe-

ſtem hanc hominum, & ab omni ſocietate mea arceo. Scio enim eſſe *homicidas*, *tyrannos*, *fures*, *adulteros*, *raptores*, *ſacrilegos*, *proditores*: *infra iſta omnia ingratum eſſe, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix ullum magnum facinus accrevit* (*a*). Scio *maledicta omnia me dicere quum ingratum hominem dico* (*b*).

§. XCII.

Si amans genus humanum affabilem te praeſtas omnibus, atque in ſermone, in iocis & ludis, in actione, in omnique vita id tenes quod decorum eſt; *urbanus* diceris. Grata omnibus ac iucunda *urbanitas*; haecque urbano homini communem benevolentiam & obſervantiam conciliat. Ex quo intelligitur delectationem ab urbanitate alterius omnes capere, erigique veluti ac recreari. At virtus quae voluptates affert generis eiuſdem, utilis profecto eſt ſocietati, & digna in qua omnes perpetuo ſtudeant exerceri. Eam qui negligit, *inurbanus* eſt.

(a) Seneca Lib. I. *De Benef.* c. X.

(b) Publius Mimus apud Buddeum *Theol. Moral.* p. II. c. III. ſect. 4. §. 19. Vid. etiam M. Anton. lib. IX. §. 42.

§. XCIII.

Ad ſermonem quod attinet, inurbanum dicunt, qui oratione faſtidium ac moleſtiam audientibus parit, qui auſterum & inſuavem dicto ſe praebet, qui triſtitiam, inanitatem, elationemque in verbis oſtendit. Si ludos & iocos cernis, ad quos non eſſe factos homines a natura viſum eſt Ciceroni (*a*); is inurbanus eſt, qui iocandi genus adhibet non ingenuum ac facetum, ſed petulans, obſcoenum, illiberale, contumelioſum, acerbum, illudens, addam & fatuum. Quum enim ingenioſus & ſagax ſit oportet qui iocis & ludis uti vult; nihil eſt profecto quod ſtomachum magis moveat & taedium afferat inſulſitate iocandi. Quis, ſi micam habeat ſalis, abſque incredibili patientia buccones iſtos ſuſtineat? In actione demum urbanus non eſt qui ornatis politiſque moribus caret, qui factis aliorum *φαντασίαν* quomodocumque offendit, aut id proſequitur quod ingratum iis eſt quibuſcum vivit. Vide Iacobum Baccium (*b*). Cavenda tamen nimia

(a) *Off.* lib. I.

(b) *Ethicorum* p. III. c. XXV. XXVI. XXVIII. Eadem ferme ratione qua inſtituitur *ἀναλυσίς pulcri* in Metaphy-

urbanitas eſt, quae gravem virum dedecet, efficitque ut fabula omnium ſit, qui in eam incidit.

§. XCIV.

Quamquam mutua omnes benevolentia conglutinemur oporteat, quippe qui pares natura ſumus, & terrae incolae quaſi communis ſocietatis, cuius maxima ab omnibus curanda felicitas eſt: attamen ſi hanc benevolentiam tam late longeque diffuſam in aliquem arctiori coniunctione conferamus confirmemuſque tempore & uſu & continua viciſſitudine officiorum, atque ex mutuo amore animorum copulatio exiſtat; benevolentia iſthaec *amicitia* vocatur (*a*), cuius, ut

ficis diſciplinis, altera inſtitui hic poteſt urbanitatis, ut mihi perſuaſum eſt. Sed populariter interdum loqui cogor; quod ſubſeciva non incurrant tempora, ut loquar ſubtilius.

(a) Amicitia iuncta cum iis, qui vinciuntur vinculis affinitatis, *caritas in ſuos* dici poteſt. Nemo eſt qui dubitet, quin propinquis firmius ſe communicet duce veluti natura ſocialis amor; iiſque maior dividenda idcirco ſit viciſſitudo officiorum. Ex hac caritate difficile non eſt probatu regulas etiam fluere haereditatum. Si enim filii paternam haereditatem adeunt congruenter naturae; ſublatis filiis haeredes natura inſtituti conſanguinei eſſe videntur propinquiores. At ſi iſti divitiis affluant, & alii interea (quod vix ſumi poteſt in primigenia conditione) in ſumma rerum neceſſariarum inopia verſentur; an non ſuadet naturalis commen-

inquit Cicero (*a*), *nihil eſt tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas . . . Haec tales & tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere . . . . Quid dulcius quam habere quocum omnia audeas ſic loqui ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis aeque ac tu ipſe gauderet? Adverſas vero ferre difficile eſſet ſine eo qui illas gravius etiam quam tu ferret . . . Amicitia quoquo te verteris praeſto eſt; nullo loco excluditur; numquam intempeſtiva; numquam moleſta eſt. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia.*

§. XCV.

Tametſi amicitia privatorum virtus ſit, cui non omni ex parte tradita ſocialis virtutis notio convenire prima ſpecie videatur; nihiloſecius placet mihi hoc loco de ipſa differere tum quia modus quidam generalis

---

datio ut his potius obtingant facultates? Suadet quidem ni fallor. Sed in his mea verſatur non ſine metu oratio. Quid enim ego minimi pretii homo prae tantis viris qui obfirmate diſſentiunt! Eminus ergo inſpiciantur iſta, ob quae poſſet mihi procella forte imminere aliqua, aut neſcio quae tempeſtas excitari.

(a) In *Laelio*.

benevolentiae eſt; tum quia amici coniunctis viribus publicum emolumentum & fructum ſectari poſſunt; tum quia viciſſitudo officiorum, quam vera amicitia praeſtolatur & iubet, quum ad privatam felicitatem faciat, confert item ad publicam mirifice; quippe quae ex congerie exiſtit felicitatum privatarum.

§. XCVI.

Fuere praeclariſſimi viri non modo e noſtris, ſed etiam ex alienis fabuloſi amicitiae ſcriptores, qui falſa virtutis huius forma decepti ſpectra & umbras, & rem quamdam inanem aucupati ſunt, dum heroas verbis exprimere arbitrabantur ſeptos apparatu virtutum germanarum. Duplex eſſe volunt amicitiae genus; aliam *vulgarem*, aliam *perfectam*. Illam utilitas, hanc gratuita benevolentia conglutinat, qua amicus *per ſe amatur toto pectore*, ut ſcribit Cicero (a). Quaevis amicitia voluptatis & fructus cauſſa conſtituta ſit, eam *diſſociatio & diſtractio ſequitur*, ut docet Ariſtoteles, *quum minus exſtant ea a quibus cauſſae profectae erant diligendi* (b);

(a) *De Legibus* lib. I.

(b) Lib. IX. *Ethic.* c. I.

& praeterea vacare perturbationibus & querelis nequit. Fucata ergo amicitia eſt; & reprehenſione digniſſimi quotquot ſibi eam parant.

Hunc quem menſa tibi, quem caena paravit amicum
Eſſe putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat & mullos & ſumen & oſtrea, non te,

inquit in hanc rem Martialis (*a*). Contra pulcherrimam & praeſtantiſſimam vocant amicitiam, quae coniungitur ſublata utilitate. Huius autem a nobis ipſis, ſi vere amici eſſe volumus, normam ſumi oportere dicunt. *Ipſe ſe quiſque diligit*, inquit Tullius (*b*), *non ut aliquam a ſe ipſo mercedem exigat caritatis ſuae* (in Tullium ipſum nervoſe retorquenda ratio), *ſed quod per ſe ſibi quiſque carus eſt: quod niſi idem in amicitiam transferatur; verus amicus numquam reperietur: eſt enim is amicus qui eſt alter idem.*

§. XCVII.

Cenſent alii nullum plane ornamentum amicitiae tolli ſi alicuius emolumenti gratia iuncta dicatur. *Qui nullo eget nihil expetit,*

(a) Lib. IX. Epigr. XI.
(b) In *Laelio*.

ſi non expetit, nec amat; qui non amat, nec eſt amicus, aiebat Plato (*a*). Quamobrem ex inopia quavis ac indigentia omnis naſcitur amicitia: ſecus effectum abſque cauſſa a qua profectus ſit, ſumi dicunt. Quum vero inter indigentias hominum multum interſit; atque alii voluptate, alii pecunia, fama alii, alii conſuetudine egeant aliquorum: efficitur diſſimilem eſſe, ut ipſi docent, ortum caritatis illius, quo veluti ſacro quodam foedere copulatos amicos videmus. Amicitiarum ergo alias voluptas & oblectatio, alias pecunia vel fama, alias conſuetudo inſtituit & iungit. Hinc quum raro contingat ut eaedem diu indigentiae permaneant: propterea nihil difficilius dicunt amicitiis ſempiternis, ut rerum uſus confirmat. Itaque quum amare nihil ſit aliud, quam rei alicuius indigentem eſſe; amicitiae indigentiis pariter aequaliterque reſpondent; quae quanto maiores ſunt, tanto ſunt amicitiae vividiores.

§. XCVIII.

Si res ſic ſe habet, illud efficitur varios gentium mores, diverſam inſtituta civitate publicae adminiſtrationis formam, diſſimilia

(a) In *Lyſide*.

perſonarum ingenia, & diſſimillima, quae vitam hominum comitantur, adiuncta plus minus amicitiis expetendis colendiſque favere. Rapiunt nos etiam in admirationem Graecorum & Scytharum amicitiae. Ea etiam aetate qua militaris ſtrenuitas, aut ſingularia certamina florebant nihil frequentius intimis firmiſſimiſque amicitiis fuiſſe narrat hiſtoria. Quorſus iſtuc? Quia homines frequentioribus indigentiis ad amicitiam adducebantur. Eae quum aevo noſtro defecerint, nullum ferme ſupereſt amicitiae alicuius exemplum, quae tam altis animo defixa radicibus videatur.

§. XCIX.

Sane ſi abſque fructibus & emolumentis & utilitatibus amicitia naſcitur & colitur; ſola amici felicitas ſollicitum & anxium amicum teneret, & nihil praeterea. Itaque nec amici abſentiam lamentaretur umquam, nec obſtreperet quum rare accipit litteras, nec eum exciperet durius, quum tardiſſime inviſitur. Haec una, ſi tale quid contingeret, ſemper eſſet vox caritatis illius, quae facit amicitiam ſua ſponte & propter ſe expetendam: *Amico id placuit: beatior egomet fio*. Quamobrem concludunt amicitiam

ab utilitate non poſſe divelli, ob eamque inſtitui & coli. Id autem propterea non probatur a multis, quia ſicut ſuos habet aut deceptos, aut probitatis ſimulatores religio; ita nec deeſſe dicunt ſycophantas amicitiarum.

§. C.

Hactenus mihi videor de amicitia quid ſentiant alii ferme dixiſſe: nunc in qua ego ſim mente, aperiendum eſt. Dicam autem ingenue: nec enim ut veſtitum, ſic ſententiam habeo aliam domeſticam, aliam forenſem; & praeterea cur me pudeat dicere quod non pudet ſentire? *Omnis mortalium cura quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diverſo quidem calle procedit, ſed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire* (*a*). Hinc nihil homines agunt, aut agere poſſunt, quod non ſentiant, aut videant momentum habere aliquod ad beatam vitam, ut exploratum eſt. Beata hominum vita ſita eſt in uſu voluptatis, non eius quidem, quam vocavit eſcam malorum Plato auctore Marco Tullio (*b*); ſed eius, quae digna eſt hominis

(a) Boethius *de Conſol. Phil.* lib. III proſ. 2.

(b) *De Senectute*.

praeſtantia, ut docui iam, doceboque uberius in altera parte moralis diſciplinae. Quare nec amicitias quis aut neceſſitudines ſibi adiunget, niſi has vel maxime neceſſarias cernat felicitati ad quam rapitur natura: iccircoque nec eas adſciſcet & colet niſi quia fautrices fideliſſimae & effectrices ſunt voluptatis. Ad voluptatem, ſine qua inſtitutio & cultus amicitiae omnino dari non poſſunt, bona refero omnia, quae amicus amicis parat, & iucunda, & utilia, & honeſta, & animi, & corporis, & fortunae, ut declaratur Ariſtotelea partitione bonorum. Refero autem quia emolumentum & fructum, & cuiusvis generis bonum tandem ad voluptatem aliquam redigi, ab eaque ſola diſtrahi ratione praeſidio ἀνάλυσεως acutus philoſophus videt. Porro quod connectitur cum voluptate, ſeiungi ab emolumento non poteſt. Voluptas enim qua fruimur, utilitas quaedam noſtra eſt. Igitur ſi voluptas amicitiam conſtituit ac comitatur; expetitur profecto amicitia, inſtituitur, colitur non ſine utilitate. Haec utilitas aut *turpis*, aut *honeſta* eſt: hinc *turpes*, aut *honeſtae* amicitiae. In eam aut ἀμεσως intendimus animum, aut ſe-

cus eſt. Si primum, *vulgaris* eſt amicitia. Si ſecundum, *perfecta* (*a*).

§. CI.

Id ipſum, de quo nunc diſputo, certius tibi erit quantum ego ſentio, quum veniam ad affectiones animi, eaſque nihil eſſe aliud expromam, niſi dominantia quaepiam deſideria; aut modos quoſdam dominantium deſideriorum. Illud unum praeterire hic nequeo quod ſententiam meam iis luculenter confirmare poteſt, qui puſilli & minuti animi quum ſint, inania ubique terriculamenta metuunt contemnenda magis, quam

Quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura (*b*).

Notum eſt Theologo nullam dari poſſe ſaltim ex habitu caritatem erga Deum, quae ab omni Chriſtiana ſpe ſeiungatur; ideſt ab aliquo emolumento & fructu, ut vides. Id docet apertiſſime Beatus Thomas pluribus in locis, & oſtendit in primis ſingulare fatum *amoris puri*, quem immortalis vir Fenelonius propugnavit (*c*). Iam vero ſi *abſque*

(a) Hoc ipſum docet D. Thomas apud de Rubeis *in tract. de Carit.* pag. mihi 271.

(b) Lucret. 3. *De Nat.*

(c) In libro, cui titulum fecit: *Explication des maximes des Saints ſur la vie intérieure*, Fenelonii error in aliquorum

praemio non diligitur Deus , ſi commentitius eſt amor erga ſupremum numen quem non aliqua utilitas comitetur ; quis in animum inducet ſuum inveniri in hac terra quam incolimus humanas quaſdam amicitias, quae ab ea ipſa utilitate divellantur ? Sed a ſacris Theologiae penetralibus profani homines recedamus .

§. CII.

At enim honeſtus vir & ſectator virtutis ob id probos homines & ornatos virtute amat, quia probi ii ſunt, virtutemque diligunt & ſequuntur. Quodnam vero cernitur in his amicitiis emolumenti ac fructus ſignum ? Accedit quod maius eſt: Vadem ſe ad mortem tyranno quis daret pro amico , ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno ? aut

---

mentes ante Chriſtum natum irrepit : eum enim docere viſus eſt Antigonus Sochaeus *Pirke Avoth* c. I. inter Iudaeos clariſſimus, qui ob hanc cauſſam Sadoko ac Baitho diſcipulis ſuis latam aperuit errorum viam. Quae ſcribit Clem. Alexandrinus lib. IV. *Strom.*, quae Paullus praeſertim exprimit *Rom. IX. 3.* ἠυχόμην αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπό τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου Archiepiſcopum Cameracenſem deceperunt. Sed amor purus ἀδύνατον eſt , ut Malebranchius oſtendit Lamyum refellens *Traité de l'Amour de Dieu ; en quel ſens il doit être déſintéreſsé*. Vide *Apologie du véritable Amour de Dieu* liv. II. chap. I. II. III.

Pylades quum eſſet, diceret ſe eſſe Oreſtem, ut moreretur pro amico? Aut ſi eſſet Oreſtes, Pyladem refelleret, ſe indicaret? Et ſi id non probaret, quominus ambo una necarentur, non deprecaretur? Faceret is quidem, aiunt, ſi verus eſſet amicus, & amicitiam quaereret non mercaturam & quaeſtum utilitatum ſuarum.

§. CIII.

Sed audiat me iterum qui tanto honeſtatis ſplendore ducitur. Fingat aliquem cui eaedem ſint ideae quas ipſe habet, iidem affectus, pares ſimileſque ſententiae. Fingat communem patriam, communia ſtudia, aut calamitates etiam communes ſi vult. Quid aliquando requiritur aliud ut erga ipſum dulciſſima caritate accendatur? Similitudo iſthaec proprium amorem mulcet ac titillat, & aſſentatrices menti ſpecies & blanda imaginationi ſimulacra exhibet: quo fit ut ſe ipſum in ideis, in affectionibus, in ſententiis, in patria, in ſtudiis, in calamitatibus alterius cernat. Hinc amicitia: quam ſi colit; & amorem & guſtum & voluptatem ſuam colit. Ecce quae ſaepe ſit merces amicitiae. Age transferantur iſta ad amicitiam hominum

honeſtorum. Ab eo praeterea qui honeſtus eſt in primis & ſocialium virtutum amator nullum incommodum aut malum times: immo opitulatorem eum invenies pium ſedulum miſericordem ſi forte futurum eſt ut indigeas. Quidni ergo hominem iſtum benevolentia proſequeris, ſi quidem te ipſe amas? Sume nunc ob aliquam ex cauſſis quas poſui vehementiſſimam caritatem erga amicum, ſume cupiditatem & praeſenſionem futurae gloriae, ſume neceſſariam tibi credere ut felix ſis amici vitam; iam Oreſtis, ac Pyladis enucleatur myſterium. Omnis itaque amicitia ab aliqua mercede & fructu ſeiuncta non eſt (*a*).

(a) Illud poſtulari hic poteſt, an plurium, vel paucorum potius nobis iungere amicitiam congruentius ſit? Si ea amoris conſpiratione conſentientes homines ponas, quae ſatis magnam habet vim, ut *amici* vulgo dicantur; forte praeclare agetur, ſi plurimos nobis amicos adiungemus. At ſi amicitiae nomen ſtrictim accipias, eam inter multos non arbitror dari: nam prodigium quoddam eſt ſi inter duos detur, ut inquit Montagnius *Eſſai* liv. I. ch. XXVII. *De l'Amitié*. Scythis iuſſum erat ut plures amicos fugerent, unum haberent, iique templum Pyladi, ac Oreſti dicarunt quaſi Diis amicitiae, ut refert Lucianus in *Toxari*. Sed Scythae arctiſſimo amicitiae nexu copulabantur, & praeclariſſima amicitiae exempla praebuerunt. Aevo noſtro parare cuique licet multitudinem amicorum. At ſi dicanda delubra eſſent

§. CIV.

Si res ita ſe habet, quum utilitatem ſequantur omnes, in eamque blanditiis inordinatae φίλαυτίας illiciantur quae pugnat cum officiis & virtute: maxima idcirco in amicorum delectu cura ac diligentia adhibenda eſt, ne tandem poenitendae benevolentiae nos indulſiſſe cognoſcamus. Hinc querebatur apud Tullium Scipio (*a*), quod in omnibus rebus homines diligentiores eſſent; in amicis autem deligendis negligentes, nec haberent quaſi ſigna quaedam ac notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei iudicarent. Signa huiuſmodi ac notas exhibuerunt ſapientes viri qui ut conſulerent humanitati, bonoque proſpicerent generis humani libros exararunt magni habendos, utilibus dum erit pretium litteris. Sed quamquam opportunitates habeant multas & ſalubre in primis ac frugiferum ſit iis uti: attamen fortuitam adhuc maximeque incertam ac dubiam rem eſſe oſtendunt di-

---

praeſidibus amicitiae, quotaquaeque invenirentur numina! Utinam verum amicum vel unum reperire poſſemus! Vid. Ariſt. *Ethic.* lib. 9.

(a) In *Laelio*.

verſa mortalium indoles ac conditio, & abſcondita hominum perverſitas, quae quotidiana periclitatione detegitur.

§. C V.

Prima igitur cautio, primaque proviſio eſt, ne nimis cito diligere incipiamus, ſed mores, & honeſtatem, & fidem, & virtutem exploremus illius, quem aſciſcere in amicum volumus. Novi ego viros & feminas (quae frequentius & in hoc labuntur, & in aliis officiis, in quibus primas tenet indigentia amoris) quos ſemel viderint, aut menſa, vel lare, vel convictu receperint, amicos legere; & poenas luiſſe ſcio temeritatis ſuae (*a*). Quare amicitiam praecurrat iudicium, futurique amici periculum fiat quantum in nobis ſitum eſt, & tanta res poſtulat. Idoneos autem ad amicitiam eos non eſſe iudicato, qui iuſtitia carent & virtute: nam quum amicitia in animorum coniunctione ſita praeſertim ſit; quae ulla eſſe poteſt honeſti viri copulatio cum improbo, qui optimo cuique detrahit, qui aequitatis & iuſtitiae leges diſrumpit, qui virtutem aut

(a) Vid. Ariſt. lib. VIII. *Ethic.* cap. III. & Plutarchum *de Amic. multid.*

numquam ſequitur, aut vitioſa ſimulatione imitatur? Quae vero pernicies ex amicitiis huiuſmodi in mores, in religionem, in ſocietatem permanat (*a*)!

§. CVI.

Delecto amico amicitiae officia ſervanda diligenter ſunt, in quibus deſcribendis utar vulgari methodo: non ſum enim ita demens, ut velim ea penſare difficili & accurata trutina Metaphyſicorum. Delectationis effloreſceret forte aliquid, nihil utilitatis. Quae de beneficentia caeteriſque virtutibus dixi, hic ſe efferant oportet & oſtendant lumen ſuum tanto copioſius, quanto communem dilectionem amicitia eminet. Hoc unum officia ferme omnia complectitur amicorum. Sed communia ſummatim perſtringamus. Principio oportet ut ardenti ſtudio benevolos nos amico praebeamus, & conſtantiam tueamur in amicitia, a qua nuſpiam nos divellant pericula, lucrum, honos, diſtantia locorum, & ſi qua ſunt huiuſmodi: quod valde difficile viſum eſt Ciceroni. Secundo ei quem diligimus reſpondendum eſt

(a) Vid. Tullium in *Laelio*, & Iſocratem in *Paraen. ad Demonicum*.

maxima conſenſione voluntatis. Nullus enim amicorum unioni locus, niſi honeſtis amici ſtudiis obſequamur approbemuſque ſententias & conſilia ſi idonea ſint, aut refellamus ſuaviter ſi ſint inepta. Tertio cum amicis conſuetudinem habere debemus (amicitiam cui conſuetudo iungitur *familiaritatem* vocant), cum iis frequenter colloqui, & ſi abſint, amicitiam litteris confirmare. Si haec omittas, ea languet paullatim & tandem diſcinditur. Quarto vocare neceſſe eſt amicos ad ſocietatem & communionem rerum proſperarum: ex quo laetitia amicitiae excitatur & creſcit. Calamitates aliquando occultentur, ne abſque gravi cauſſa amicum moleſtiis & curis afficiamus. Quintum amicitiae munus eſt optima conſilia amico dare, eumque ſi oporteat modeſte prudenter ſeorſim admonere, admonitioneſque libenter excipere non ſpernere. Si qua vera erumpant levia amici vitia a quibus avocari non potuit, patienter ferenda ſunt, nec ob hanc cauſſam decet amicitiam diſſociari: nam *vitiis nemo ſine naſcitur*. Sextum eſt ut aures occludantur criminationibus & querelis contra amicum, huncque tueri decet li-

bera oratione, quae non fucatam eius virtutem oſtendat. Videantur Genuenſis (*a*), & Baccius (*b*): ambo enim vulgaria haec praecepta recenſent & explicant. Sed haec omnia, ut reor, ſervant aequabiles ſemper ſuique ſimiles qui vere diligunt & amici ſunt, quamvis nihil tale uſpiam legerint, aut ab ullo exceperint Praeceptorum. In his vero qui praeſidium collocant amicitiae tandem videant ea verſari omnia in voluptatibus quas amici percipiunt a convictu, a conſtantia, a colloquio, ab opere, a fide, a ſolatio, a liberalitate, a communione ſtudiorum; videant propterea omnem amicitiam iniri firmarique utilitate.

§. CVII.

Haec generatim de virtutibus attigi, quas ſocietas flagitat. Continentur autem, ut reor, eo naturae & Evangelii pronunciato: *Quidquid ab aliis tibi fieri vis, id tu aliis facito*: *ſeu* (quod ἀνάλυσις patefacit) *voluptates quas poteris omnes, quaeque ſecundum naturam ſint, aliis para*. Officium ut ICtis placet facere *oportet*, virtutes *decet* ſequi:

(a) *De Off.* c. X.

(b) *Ethic.* lib. III. p. III. cap. XVII.

decet autem quum lex non impellit. Hinc officiorum obligatio *perfecta* eſt; *imperfecta* virtutum. Sed iſta obligationis diſtinctio & falſa & periculoſa videtur Profeſſori de Felice, qui vult aeque ad virtutes & officia omnes obligari, ſi legis naturae ratio ulla habeatur (*a*). Ego vellem de exteriori effectu legum civicarum ICtos loqui: nec ii errant profecto ſi hoc unum exprimant. Contra eamdem ſemper eſſe obligationem ad officia ac virtutes non intelligo, niſi quum iſtae naturam induunt officiorum. Sic liberalitas generatim virtus eſt: interdum officium; ſi nempe eae incidant cauſſae quamobrem debeas omnino benefacere, ut dicam alibi.

(a) *Chap. IV. de la quatrieme partie des principes du Droit de la Nature & des Gens; par I. I. Burlamaqui.*

CAPUT IX.

DE MUTUIS OFFICIIS ET VIRTUTIBUS SPECIATIM.

§. CVIII.

De officiis ac virtutibus quae ad omnes attinent, dictum eſt ſatis. Nunc quoniam oritur quarumdam actionum alia neceſſitas, ſi peculiaris ratio hominum habeatur, aliaque earum ſe nobis circumſpicientibus ſiſtit utilitas: non erat omittendus hic locus dignus omnino in quo moralis Philoſophus elaboret. *Neceſſitati* reſpondet officium, virtus *utilitati*, ut ſupra ſcripſi. De utriſque coniunctim hic loquar: quod vitare nullo modo potui, ne lectorem meum faſtidiret crambem repetentis oratio.

§. CIX.

Certum eſt nec ſocietatem ullam naturae, nec conſiſtere omnino poſſe genus humanum, niſi educationi infantium conſuleretur, donec ſibi proſpicere ipſi poſſunt iudicii maturitate aliqua, & praeſidio virium propriarum. Hoc autem munere fungantur paren-

tes oportet ſecundum naturam. Quum enim procreatores liberorum ſint; cuia hercle intereſſe eorum inſtitutio debet; aut quid eſſe hac poteſt parentum naturae accommodatius? Omitto ab indigentiis ipſis, & ab amore quo ſtatim erga natos impelluntur, niſi inſolens quid obſtet, ad haec officia parentes advocari. Primum itaque perſequamur parentum officia, in quibus deſcribendis ea hic ſolum quae ad conſociationem naturae ſpectant, complecti curabo: alibi enim huc recurret ſermo.

§. CX.

In eo totam cenſeo verti artem liberorum educandorum, ut probe dignoſcantur modi aptiores, quibus tum firmitas corporis; tum animi intelligentia & virtus liberis comparantur. Illis vero ediſcendis adhibendiſque ſedulam navare operam parentes debent, ſecus in officio labuntur. Praeterea nihil eſt dementius quam tantum ſtudii in rebus minimi pretii ponere, liberorum autem inſtitutionem flagitioſe negligere, aut ei curam perparvam impendere. *Non video*, aiebat Plato (*a*), *ubi maiore diligentia opus ſit, ſi*

(a) In *Thearge*.

quis mentem modo habet, quam ut ſilium optimum reddat. Pauca ego attingam primum de corporis cura, quae eſt *phyſica* educatio, tum de animi inſtitutione, quae educatio *moralis* dicitur. Fateor tamen rem eſſe huiuſmodi, ut qui etiam magna & praeclara dicat, pauca nihilominus dicat.

§. C X I.

Mihi valde probatur ut prolem nutriat mater per ſe; quod dicitur ad naturam accommodatiſſime: idque ſicut eſt inter ſe animalibus reliquis, ita eſſe debet cum beſtiis commune homini; quoniam in hoc omnium eſt natura communis. Iam vero nulla eſt belluarum, quae natos per ſe non alat ſuos. Quod igitur tigris, quod leaena facit; mulier non faciet? Mos quidem fuit apud omnes populos ſimplici illa mundi aetate, ut matres ubera admoverent natis: ſed paullatim cultiores facti, & tandem luxuriantes commodis, negligere educationem hanc primam coeperunt, & mercenariis abiectiſque nutricibus non ſine officii violatione infantes conſignarunt. Profecto lac conceſſum matri vox quaedam naturae eſt a qua ipſa admonetur ut puerum nutriat; vicemque

ſupplent ſanctionis dolores & incommoda quae ex ſubducti lactis redundantia exiſtunt. An timent delicatiſſimi faſtidii matres, ne valetudinem, aut venuſtatem amittant ſuam ſi lac praebeant liberis? Atqui vereri utrumque multo magis debent niſi eos alant ipſae per ſe: quod medicae artis periti demonſtrant. In Georgia nullus eſt infans qui matris ſuae ubera non ſugat: ibi autem feminae venuſtiſſimae, ut Cardinus narrat (*a*). Matris itaque officium eſt infantium nutriendorum. Quod ſi iuſta aliqua cauſſa incidat, cur committendus ſit infans mercenariae feminae ut nutriatur; vix dici poteſt quantum ſtudii in ea deligenda neceſſe ſit, ne ſugat ille cum lacte corporis vitia, & proclivitatem etiam ut quibuſdam placet, ad vitioſitatem animi, ſi quam nutrix habeat. Optimus hac in re adhibendus eſſet medicus: ſed temere fiunt omnia; ſaepiſſimeque maior eſt catuli, quam infantis ſollicitudo & cura.

(a) Vide Plutarch. *De liberis educandis*, Sadoletum *De liberorum recta educatione*, A. Gellium *Noct. Attic.* lib. XII. c. I., & Balexerdum *Diſſertation ſur l'Éducation phyſique des Enfans*, in qua ea etiam recenſentur incommoda, quae tenellulo infantis ſtomacho afferre alienum lac poteſt.

§. CXII.

Etſi ſatis patiens ſim in perferendis vulgi praeiudiciis tolerandaque opinionum & conſuetudinum pravitate, quibus inficimur omnes, & a natura deſciſcimus: ſoleo tamen aliquando ſubiraſci quum retineri inſtitutum video arcte devinciendi concludendique faſciis infantes. Quid enim magis inimicum naturae, aut perniciosius infantium valetudini, aut corporis firmitati contrarium magis? Quid non poteſt efficere malorum violenta haec compreſſio! Gibbi deformes diſtorti ii ſaepe fiunt, quia his vinculis alligantur. In tanta huius ſaeculi luce cur adhuc inhumanam conſuetudinem hanc ſervant florentes Itali, quam docti quique lamentantur (a)! Extant hac ſuper re typis editae diſſertationes doctiſſimae. Haec dum ſcribo menti occurrit ſuaſiſſe me olim cuidam matri, quae lac praebebat infanti, ne cum illo inhumaniter ageret eumque ab incommodis

(a) Qui regnum Siamum incolunt, Iaponiani, Indi, Nigritae, ſylveſtres novae Franciae populi, & Americae plerique immanem hanc conſuetudinem neſciunt. Taceo innumeros alios quos poſſem recenſere, ſi vellem. Vid. Buffon *Hiſtoire naturelle &c. De l'homme*.

illis integumentis ſolveret ac liberaret. Argumenta attuli plurima, & popularia quidem ut vim omnem haberent flectendo ſimplicis & inſciae matris animo: eam omnibus etiam precibus oravi. Vici tandem; & eo mulierem adduxi ut ipſos, a quibus barbarum hunc morem didicerat, vehementer reprehenderet ac vituperaret. Ego iam triumpho ſuperbiebam meo; iamque plaudebam mihi quaſi bene eſſem meritus de humanitate. Heu? indicavit infans fletu & lacrymis ſe moleſtia aliqua conflictari. Exuit mater faſcias, & puerulum a ſordibus ac fecibus purgat. Paullo poſt me ſpectante, quis crederet? arctius illum imperturbata devinxit. Vidi, obmutui, diſceſſi illud cogitans contra inveteratam opinionum pravitatem nihil umquam demonſtrationes potuiſſe. Quod de faſciis, idem de thoracibus iis doceo quibus praecingi ſolent pueri, quaeque impediunt ne membra dilatentur congruenter naturae, ut omittam alia incommoda plurima, quae hinc ſequuntur.

§. CXIII.

Illud etiam animadverto cavendum a parentibus ne mollis ſit omni puerorum aetate

educatio, quae virtutem tollit ac robur corporis & detrimentum affert in omne poſterum tempus vitae. Itaque ciborum copia & delectu optimam corporis conſtitutionem comparare pueris debent quum a mammis diſiuncti ſunt. Non irritent eorum gulam cibi, nec ſtomachum repleant: vinum autem vel numquam, vel dilutum aqua eis propinetur: ſecus pueros habebunt valetudinis imbecillae. Sed mater infeſte benevola, ſed crudeliter miſericors nutrix, licet praeclara haec eſſe dicant praecepta frugalitatis, non tamen ſervant ut rerum magiſter uſus oſtendit. Valet etiam plurimum ad corporis firmitatem tuendamque valetudinem ſi pueri aſſueti ſint ſuſtinendo labori & incommodis tempeſtatum. Quid ergo timent parentes, & domi tragoedias agunt quum pueri frigus interdum & aeſtum patiuntur, quum caput non tegunt dormientes, quum duriuſculus forte eſt lectulus? Illud timent quod confert plurimum ad phyſicum bonum puerorum. Maxime vero commendantur motus & exercitatio aliqua: in quo Graecos poſſumus in exemplum aſſumere, quibus in honore erant corporeae exercitationes, quae etiam ab arte medica ceu

remedia malis innumeris adhibebantur. Vide Ariſtotelem (*a*). Pauca haec de phyſica educatione. Medicorum eſt praecepta tradere, quae huc faciunt (*b*).

§. CXIV.

Providendum eſt praeſertim animo puerorum, cuius cultui confert maxime, ſi bene ſit inſtituta, phyſica educatio. In animo ingenium & cor diſcernimus. Utrumque autem colendum: nam tales fere ſunt homines, quales eos inſtitutio effecit. *Lycurgus*, ut Plutarchus narrat, *duos catulos iiſdem prognatos canibus diverſa omnino ratione educavit; alterum delicatum & luxurioſum, alterum indagini & venationibus aptum reddens. Quodam inde tempore quum frequentes in concionem Lacedaemonii coiviſſent: magnum, inquit, Spartani ad virtutem concipiendam adferunt adſuefactio, educatio, doctrina, atque condocefactio, quod ego vobis iam nunc commonſtrabo: ſimulque duos iſtos catulos productos, poſita in medio patina & lepore, dimiſit. Quorum cum alter illico leporem, alter patinam peteret, neque etiamnum aſſequerentur Lacedae-*

(a) Lib. VII. *Politic.* c. XVII.

(b) Vid. Brouzetum *Éducation médicinale des Enfans*.

monii quid ſibi catulis oſtendendis vellet : hi, inquit, iiſdem nati parentibus, diverſa educati ratione, ventri alter deditus, alter venaticus evaſerunt (*a*). Utinam id perſpectum, ut par eſt, & cognitum parentes haberent! Utinam quanti ſit momenti recta puerorum inſtitutio moderatores reipublicae frequentius cogitarent! Cui debuit Sparta, ut ſe incolumem tueretur niſi ſtrenuis civibus, qui Patriae defendendae improbam & iugem operam dederunt? Eorum autem virtus in optimas leges de pueris inſtituendis conferenda procul dubio eſt. Sed eo, unde diſceſſi, revertor (*b*).

§. CXV.

Ii puerorum ingenio conſulunt, qui efficiunt ut neceſſariis ac utilibus cognitionibus imbuantur, quae tum illis proſint, tum ſocietati; quaeque idcirco ineundis ab unoquoque muneribus reſpondeant: non enim eadem docendi ſunt omnes. Nihilo ſecius qui miles futurus eſt, qui iudex, qui mercatu-

(a) *De liberis educandis*.

(b) Vide Platonem *De Repub.* Dial. VII., Ariſtotelem VIII. *Polit.* cap. I., Bielfeldum *Inſtit. Polit.*, ut innumeros alios ſileam.

ram faciet, èadem apud nos ratione inſtituuntur, donec annum ſextumdecimum agant aut decimumoctavum: quo quid ſtultius dici, aut fingi poteſt? In id etiam incumbere utile eſſet, ut pueri ſermone patrio erudirentur. Itali ſumus, & italam linguam ignoramus. O fulgentiſſimam huius ſaeculi expultricemque tenebrarum lucem! In eo errare poſſunt parentes ſi incultos eſſe patiantur pueros quos forte vident ingenio tardiores. Eniti potius & efficere debent ut eorum torpentem animum excitent inducantque in ſpem cogitationemque profectus faciendi. Inflammare eos neceſſe eſt, gloriaeque & honoris ſtimulis quaſi calcariis impellere. Nam ſicut ab eo qui nullo communis boni deſiderio flagrat, quemque nulla vehemens affectio trahit, nihil magni, nihil praeclari aut familiae aut ſocietati obvenit: ita ab eo exſpectanda ſunt omnia quiſquis ſit, qui honeſta dulcedine gloriae tangitur, eamque quaſi mercedem deſiderat rerum gerendarum. Maxima vero adhibenda diligentia eſt, ut pueri ab ineunte aetate & Deum agnoſcant & cultum, quo illum decet venerari. Vult recens quidam Scriptor ut donec pue-

ri adoleverint, expectetur, ne plus exigatur quam aetas ferat. At niſi ad haec quamprimum ii adſueſcant, inutilis forte & irritus erit parentum labor. Praeterea cur ignorare Conditorem ſuum, cur divinum cultum negligere pueritia debet? Adde cognitiones iſtas ad cor optime conformandum mirum in modum conducere: nam fraenos validiſſimos iniiciunt permotionibus animorum metus Dei & Religionis amor.

§. CXVI.

Cor vero perficitur, ſi ſcintillae virtutis mature in eo excitentur, elidanturque fibrae omnes innaſcentis vitioſitatis, quum primum haec cernitur. Sed illud ſaepiſſime parentes omittunt: in altero item negligentiores ſunt; quod durius cum pueris agi arbitrentur ſi eos in re levi reprehendant. Quod ſi aliquando initia cohibeant ſuborientis improbitatis; id non ſine arrogantia ac ſupercilio, nec niſi irati faciunt. Hinc omnis eorum admonitio impetus quidam vehementioris iracundiae eſt, quae diſtat ab officii cuſtodia longiſſime. Revera ſi laeti ſint, nec monent pueros, nec increpant emendandi gratia; quin iis funeſta indulgentia permit-

tunt omnia, ridentque ſaepe ac plaudunt quum eos oporteret graviſſime coercere. Parentes itaque efficere debent, ut pueri virtutem ament & vitia exſecrentur. Eos doceant verbis & factis, & exemplo praeſertim. Qui patrem nactus eſt durum, immitem, invidum, ſuperbum, contumelioſum, eum non imitabitur? Si vera non ſunt iſta, hiſtoriae, uſui rerum, philoſophiae nuntium remitto. Quum autem pueri peccant admonendi ii, ac reprehendendi ſunt pro ratione temporis & loci & malefacti: ſed plena ſit amoris admonitio, & expers contumeliae ac perturbationis reprehenſio. Raro veniatur ad verbera, quibus tamen parcendum cum modo non eſt, ſi ſint neceſſaria. Quamquam an neceſſitate iſta premi aliquando parentes poſſint, non facile definiam (*a*).

§. CXVII.

Ut haec & his ſimilia parentes exſequantur, aliquam in liberos poteſtatem habeant neceſſe eſt: ſecus iis optime informandis inutilem forte induſtriam collocarent. At enim unde poteſtas haec manat? Difficili in loco

(a) Ballexerdus *De l'Éducation morale*, & Formeyus *Traité ſur l'Éducation morale*.

verſamur: ſed rem tantam tamque praeclaram inchoatam relinquere non decet. Huius ſunt capienda primordia ab hiſtoriis populorum. Hae certiores nos faciunt nullis finibus paternam poteſtatem deſcripſiſſe qui primum ad ſalutem civium incolumitatemque civitatum legem vivendi & diſciplinam dederunt. Certe in ea potiſſimum nitebatur quidquid Indorum, Perſarum, Graecorum, Romanorum, aliorumque Iuriſprudentia de patrio iure decernebat. Tunc venundare filios inops pater poterat, eoſque proiicere vel quum in lucem deformes edebantur (quod Lycurgi & Romuli leges in neceſſitatem verterant), vel quum faſtidio erat eorum educatio; eos demum interimere cuiuſvis fuerint aetatis, modo parentes triſtitia & aegritudine afficerent. Quae quum ita eant, cauſſam quaerere rigidus quidam cenſor a Iuſtiniano poſſet, quamobrem ſcripſerit (*a*) ius patrum in filios nullis terminis

(a) *Ius autem poteſtatis, quod in liberos habemus proprium eſt Civium Romanorum. Nulli enim alii ſunt homines qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus. Inſtit.* lib. I. Vide Dionyſium Halicarnaſſenſem *Antiqu. Rom.* lib. II., & Valerium Maximum lib. V. c. VIII.

definitum Romanos diſcernere a gentibus ceteris. Quaſi apud alios populos minime obtinuerit poteſtas huiuſmodi, aut concedi poſſit, ſi contra naturam ſit, a latoribus legum Romanarum (*a*). Non deerunt tamen qui Iuſtiniani defenſionem ſuſcipient.

§. CXVIII.

Iam vero quum haec conſidero omnia quae attuli; hinc effici reor primos illos populorum moderatores ob hanc potiſſimum cauſſam nullo modo patrium ius circumſcripſiſſe, quod iſtud ſecundum naturam arbitrarentur. Sane eorum nemo quod ſciam laboravit, ut originem & fontem perquireret iuris iſtius, quum de re omnibus exploratiſſima loqueretur. Quamquam illud forte dici poteſt eorum aliquos id optime noviſſe, in quo cardo rei vertitur, ſed callide alto ſilentio praeteriiſſe. Qui enim antiquiſſimis temporibus congregaverunt civitates legeſque tulerunt hoc ſibi arrogaſſe ſcimus privilegium, ut myſteriorum pleni eſſent omnes, atque id quod nec natura, nec Deorum beneficio habebant ita ſimularent, ut natu-

(a) *Théorie des Loix Civiles* tom. II. liv. IV.

ra & divino iuſſu facere ii viderentur. Utcumque ſit, illud ex hiſtoria colligitur nedum perſuaſum nationibus fuiſſe poteſtatem eſſe aliquam patrum in filios, ſed hanc iuri vitae & necis apud pleroſque copulari. Quo autem pacto ſolvi moleſta haec quaeſtio poſſit, quae aetate etiam noſtra Philoſophorum exercet ingenia, non colligitur. Educatur igitur velum & ſanctuaria rationis ingrediamur.

§. CXIX.

Generatione, inquit Grotius (*a*), *parentibus ius adquiritur in liberos; utrique, inquam, parentum patri ac matri: ſed ſi contendant inter ſe imperia praefertur patris imperium ob ſexus praeſtantiam*, ut fuit etiam a Quinctiliano (*b*), a Baeclero (*c*), a Ludovico Praſcio (*d*) animadverſum. *Quaſi per ſe evidens ſit*, ut ſcribit Hobbeſius (*e*), *quod a me genitum eſt meum eſſe. Unde qui argumentum nullum afferunt praeter generationem, ſimiliter*

(a) *De Iure Belli ac Pacis* lib. II. c. V. §. I.
(b) *Decl. 6.*
(c) Ad hunc Grotii locum.
(d) In Diſſert. *De bono Cive*.
(e) *De Cive* c. IX.

faciunt ac ſi quis putet ſi triangulum ſit, ſtatim apparere ſine alia ratiocinatione angulos eius eſſe aequales duobus rectis. Sane convenientia conſenſuſque naturae, & aperta etiam iuſſio in eo cernuntur ut homines procreandae ſoboli generatim vacent: quod ii praeſtant libidinem ſaepe explentes ſuam, ſemper coniugii neceſſitatibus ſervientes. Ex quo obligationem educandae prolis ſequi certum eſt; poteſtatem ſequi incertum. Nam ſi qua in liberos parentum poteſtas eſt, hanc perſeveraturam credo in ſtatu naturae, donec eorum vires tum phyſicae cum morales ita ſint explicatae, ut ſibi conſulere ipſi poſſint & beatam vitam aſſequi abſque parentum auxilio & diſciplina. Atqui ſi poteſtas, de qua nunc quaerimus, ex una procreatione eſt, *meumque* eſſe velim quod genui, erit hercle *meum* quamdiu vivet: quod nec civica ipſa lex agnoſcit, nec niſi abſurde dici poteſt ab aliquo Philoſophorum. Praeterea vix edito in lucem infante demori patrem matremque fingamus. Quum blanda conciliatrix & quaſi ſui ſit lena natura; aetatis imbecillitas ſimilitudoque ſpeciei miſeratione alios permovebunt, efficientque ut alatur in-

ſans & educatione aliqua inſtituatur. Doceat me nunc Grotius an ulla ſit poteſtas in eos, qui infantem iſtum inſtituent? Si non audet negare poteſtatem eſſe aliquam; etiam alium praeter generationem eſſe fontem poteſtatis illius non invitus concedat. Si dicat eſſe nullam; videat ne nulla quoque in parentibus ſit. Sed nolo eſſe longus (*a*).

§. CXX.

Progreditur Hobbeſius, & docet quid ipſe ſentiat. *Iure naturae*, ſubdit, *dominium infantis ad eum primum pertinet, qui primus in poteſtate ſua ipſum habet. Manifeſtum autem eſt eum qui modo naſcitur, prius eſſe in poteſtate matris quam cuiuſquam alterius, ita ut illum vel educare, vel exponere ſuo arbitrio & iure poſſit .... Atque hoc modo in ſtatu naturae omnis puerpera ſimul & mater ſit & domina ... Originale igitur in liberos dominium matris eſt, & apud homines non minus quam cetera animantia partus ventrem ſequitur.* Unius matris auctoritatem in filios refellunt Cumberlandus (*b*), Burlama-

(a) Vide Hutcheſon *Syſtême de Phil. Morale* tom. II. liv. II. c. II.

(b) *Traité Philoſophique des Loix naturelles.*

ehius (*a*), Strubius (*b*): ſed alia eſt haec quaeſtio meo quidem iudicio. Ego ob aliam cauſſam nullo prorſus modo aſſentior placitis Hobbeſianis. Principio, ut Hertius (*c*) docet, *ipſe homines naturaliter in libertate naſci ſtatuit* (quod ego ſupra explicavi): *atqui hoc fieri nequit ſi natos in dominium matris protinus redactos ſtatuamus. Deinde homo non aeque occupationi eſt obnoxius ut ceterae res, quas natura uſibus humanis deſtinavit & largita eſt. Adde ſolam detentionem, aut poſſeſſionem ius non tribuere, niſi aliud accedat. Et cur non potius obſtetrici quae infantem primum excipit* (niſi Hertius ludat quam ieiune hoc dicitur!) *dominium eius adiudicaremus quam matri?* Si vera etiam ſunt, quae de generatione traduntur a pluribus Phyſicorum, forte laborat falſa hypotheſi argumentum Hobbeſianum.

§. CXXI.

Puſendorfius (*d*) non ab educatione ſolum, ſed a *praeſumta etiam conſenſione* libe-

---

(a) *Principes du Droit naturel.*

(b) Strube de Piermont *Ébauche des Loix naturelles.*

(c) Ad Puſendorf. *De Iur. N. & G.* lib. VI. c. II. §. II.

(d) Ibidem.

rorum parentum imperium proficiſci arbitratur. (Eam *tacitum conſenſum* pertinaciter vocat Barbeyracius: nec mirum id quidem; ſaepius enim de vocibus quam de rebus pugna concertatioque committitur). *Quemadmodum*, inquit ille, *parens eo ipſo quod infantem tollit, declarat ſeſe obligationem a natura iniunctam impleturum: ita contra infans etſi propter latitantem adhuc rationis uſum reciproca officia parentum obligationi ex adverſo reſpondentia expreſſe nequeat promittere: ex ipſa tamen parentum opera obligationem erga eoſdem contrahit non minus quam ſi expreſſus ipſius conſenſus acceſſiſſet. Eaque obligatio ſeſe exerit quamprimum quid a parentibus erga ipſum ſit geſtum, poteſt intelligere. Praeſumitur enim ſi uſum rationis eo, quo ſublatus eſt tempore, habuiſſet, ac perſpexiſſet vitam ſeſe citra parentum curam iunctumque illi imperium ſervare non poſſe, lubenter ipſum in idem conſenſurum, commodamque ſibi educationem ab iiſdem viciſſim fuiſſe ſtipulaturum. Qui conſenſus cum ratione praeſumtus pro expreſſo valet*. Ingenioſa videntur iſta; ſed tamen non ſunt huiuſmodi, ut ea probem. Qui enim dari poteſt praeſumto tacitove conſen-

ſui locus, ubi nulla aperta & praeſens conſenſio eſſe ſecundum naturam poteſt? Deinde ut vim haberet ſuam conſenſus huiuſmodi neceſſaria poſterior confirmatio eſſet, tunc nempe quum liberi animadvertunt quo paternum imperium pertineat. At neſcio utrum in ſtatu naturae, quum haec plene cognoſci a pueris poſſunt, ii adhuc diſciplinae parentum ſubſint. Utut ſit, inanis oſtenditur conſenſus quem Pufendorfius ac Barbeyracius propugnant, quum aliunde patrium ius inferatur.

§. CXXII.

Parentibus demandatum a natura eſt munus liberorum educandorum, ut dixi. *Etiam in beſtiis*, inquit Cicero (*a*), *vis naturae perſpici poteſt: quarum in foetu & educatione laborem quum cernimus, naturae ipſius vocem videmur audire*. Porro humanae naturae ac ſocietati accommodata educatio illud poſtulat, ut non tam viribus phyſicis, quam arte regendorum animorum inſtructi ſint qui pueris praeſunt: eſt *enim puer*, inquit Plato (*b*), *omni beſtia intractabilior*. At quomodo inſtitui ii po-

(a) Lib. III. *De Finibus*.

(b) Dial. VII. *De Legibus*.

terunt, ut par eſt, niſi parentes ius habeant imperandi ea quae ſunt optimae inſtitutioni neceſſaria? Hunc locum ſupra iam tetigi. Haud ergo erravero ſi dicam parentibus a natura datam poteſtatem, cui liberi obediant ac ſubiiciantur. Quae ferme eſt Burlamachii ſententia. At enim ſi parentes inepti ſint ad inſtituendos pueros, iam ruit ac frangitur fulcrum poteſtatis illius. Aut igitur nulla haec eſt, aut eos ſolum qui ſunt idonei, hanc habere confitendum eſt. Hinc nova rerum implicatio. Verum quid mihi denuo obſtrepis audax differendi prurigo? Ecquem tam amentem eſſe putas, qui magni faciat ſubtilitates tuas, quas ſpernere, cui mica ſalis ſit affirmabit magnam partem eſſe ſapientiae, neſcire tranquillitatis? Hic quam voles ſpeculare, urge, ſerpe quo vis: non hercle efficies, ut de ſententia decedam mea. Proprium cuiuſque eſt officium facere, cui ſe ipſe ſentit adſtrictum a natura. Sentiunt autem parentes ſe ad inſtitutionem prolis obligari. Itaque proprium parentum eſt inſtituere, iccircoque ius ii habent ex §. XLII. inſtituendi; nemoque niſi iniuria deturbare illos poteſt tum a munere inſtitutionis, tum ab

eo omni quod munus utiliter inſtituendi flagitat. Eximium neminem habeo nec eos ipſos qui inſtituuntur. Si quis vero auctoritate aut abutatur aut uti neſciat ſua; ob id unum iure omni carebit? Forte tunc intereſt humanae ſpeciei, ut ius habeat, de quo diſputamus, ne detur gravioribus incommodis locus. Ut potui explicavi.

§. CXXIII.

Veriſſima ſunt quae de paterno imperio diſputavi: nam ratio mecum facit, mecum faciunt populi & nationes; & praeterea hoc ſemper ita putatum eſt a Philoſophis, in quibus modo eſſet auctoritas: ſacras ipſas literas adiungam, ſi forte aut ratione, aut hominum conſentiente auctoritate contenti non ſumus. Sic tamen exiſtimo nimis tribui parentum poteſtati ſi ipſis ius vitae & necis in liberos concedatur, quod Iohannes Fridericus Hornius inter ceteros docuit (*a*). Caros eos habeant liberi, vereantur, metuant; *limites tamen paterni imperii*, ut Buddeus animadvertit (*b*), *ex fine ſocietatis huius ſunt metiendi. Tantum itaque parentibus*

(a) *Polit. Architect.* lib. I, c. II. §. IV.

(b) *Theol. Mor.* c. III. ſect. VI. §. XXIX.

in liberos licet, quantum educationis honeſtae ratio requirit. Non itaque neceſſe eſt ad ius vitae, ac necis poteſtatem patriam extendere . . . niſi hoc fiat per modum defenſionis. Sed veniamus ad officia liberorum.

§. CXXIV.

Debent filii parentibus *pietatem*. Pietas ea dicitur per quam diligens iſtis tribuitur cultus qui neceſſarius eſt ad fructum educationis, ex ipſaque idea paterni imperii naſcitur. Nihil auguſtum aut exploratum magis tempore immenſo apud omnes populos. *Omnes hoc dicunt atque canunt*, inquit Plutarchus, *primum ſecundum Deos honorem, ac praecipuum parentibus naturam & legem naturae deſtinaſſe* (*a*). *Exiſtimandum eſt*, ſubdit Plato, *nullum apud Deos magis honorandum ſimulacrum habere nos poſſe quam parentes & avos ſenio confectos, matreſque ſimiliter* (*b*). Huic cultui, qui numquam ab amore diſiungitur, repugnat eos contumeliis afficere, ad iracundiam concitare, acerbo vultu contueri, contemnere, deridere. Si aſperi, ſi moroſi, ſi difficiles ſint, eorum duritiam moroſi-

---

(a) Lib. *De Fraterno amore*.

(b) Dial. II. *De Legibus*.

tatem & vitia, ait Pufendorfius, decet patienter tolerare, modo nec ea pueri probent, ut animadvertit Barbeyracius, nec ea imitentur. Conſulantur Ariſtoteles (*a*), & Xenophon (*b*), & Epictetus (*c*).

§. CXXV.

Debent *gratiam:* ab iis enim procreati ſunt, atque inſtituti. Iis igitur eam habeant; immo referant oportet quo tandem modo poſſunt: maxime ſi inopes, ſi aegroti, ſi ſenes ſint, ne addant parentum inopiae, aut morbis, aut ſenectae acerbitatem. Sane ſi ſunt haec officia omnium qui beneficium acceperunt multo erunt magis liberorum. *Quidquid praeſtiti patri*, aiebat Seneca (*d*), *etiamſi magnum eſt, infra exiſtimationem paterni muneris eſt: quia non eſſem ſi non genuiſſet.* Cur educationem tacuit?

§. CXXVI.

Debent *obedientiam*. Conſentaneum quidem eſt ut pueri parentibus pareant: numquam enim in ſpem venire poterunt futurum

(a) *Ethic.* lib. IX. c. II.
(b) *De dictis & factis Socratis* lib. II.
(c) *In Manual.* c. XXVII.
(d) Lib. III. *De Benef.* c. XXX.

ſore, ut veram ſibi felicitatem comparent, niſi ab eorum nutu & voluntate pendeant. Praeterea quum parentes a natura habeant, ut pluries docui, poteſtatem imperandi liberis; cur in iis rebus, quae ad educationem pertinent non erit nefas repugnare? Verum hac noſtra aetate, qua ita prolapſa iuventus eſt, a pueris obedientia potius omnis abiicitur, contemnuntur vexanturque parentes, ingrati ii & improbi in iſtos ſunt, nihilque omittere videntur eorum ex quibus maxima parentum perturbatio, & lamentabilis ipſorum puerorum pernicies exiſtunt. Hi ſcilicet, qui aliquibus populis collo erecto & caperata fronte barbariem exprobrare ſciunt, ab iis humanitate, ac ſapientia, ac virtute etiam vincuntur.

§. CXXVII.

De parentum & liberorum officiis eſt, ut opinor, dictum ſatis. Ab officiis autem ad virtutes venitur gradibus: nempe quum ea conſtanter fiunt quae non ſunt ad officium neceſſaria. Sic parentes, qui cor perficiunt puerorum, officium faciunt. Sed tanta ſagacitate, & diligentia, & induſtria, & dexteritate, & circumſpectione uti poſſunt, quae

plane omninoque non exigantur ab educationis officio; huiuſque ſupra modum neceſſitatem ſuperent. Similiter puerorum officium eſt obedientia. At ſi promte & expedite ii exſequantur quod parentes iubent, nihilque alacrius ac libentius faciant; ſi non mandatis ſolum pareant, ſed etiam nutibus: tunc obediendi officium virtutis nomine complector. Hoc pacto formam & faciem videre poteris virtutum ceterarum.

§. CXXVIII.

Soboles a mare ac femina progignitur: ex quo ideae oriuntur quae ordinem & affectionem habent ad aliud, quaeque *patris*, *matris*, *filiique* vocibus exprimuntur. Porro feminae, quae filios procreant, aut in uſum promiſcuum veniunt, aut ſingulae ſingulos mares mutuo conſenſu ſibi adiungunt. Poſterior haec ſocietas latiſſime *connubium* dicitur, cuius conſideranda a me neceſſitas eſt in generali conſociatione naturae. Dicam breviter: ſed dum brevis eſſe omnimode volo, conabor efficere, ne obſcurus fiam.

§. CXXIX.

Non modo ad matrem pertinet, verum etiam ad patrem laborioſiſſima & diuturna

inſtitutio puerorum, ut ſupra docui. Revera debilis & infirma genitrix aegre nimis tum natos, tum ſe ipſam tueri incolumem poſſet, niſi attenta viri ſui opera & procuratione iuvaretur. At ſi communes ſunt feminae, quo certo indicio certi patres diſcernerentur? Incerto autem patre qua tandem ratione bene informarentur pueri? *Si omnes omnium liberi ſint*, inquit Lactantius (*a*), *quis amare liberos tamquam ſuos poterit, quum ſuos eſſe aut ignoret aut dubitet? Quis honorem tamquam patri deferet, quum unde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno*. Quum itaque pueros optime educare oporteat; propterea intereſt ſocietatis ſingulos mares ſingulas feminas habere proprias & ſuas. Itaque connubia iniri debent in naturali ſocietate. Accedit quod moleſtiam pareret, & turbas ſaepe & diſſidia concitaret communio iſta feminarum. Notum eſt quam cruenta ineant atque conficiant bella pecudes quum a venere ſtatis temporibus rapiuntur: quod memini me iam animad-

(a) *Div. Inſtit.* lib. III. c. XX.

vertiſſe. Quinam vero infeſti magis & calamitoſiores exitus ex hominum libidine conſequerentur, qui ſemper in furias ignemque ruunt? Turbaretur profecto vitae tranquillitas omnis, nec ullus eſſet promiſcuae felicitati locus. Taceo promiſcuum hunc uſum ob id etiam repugnare naturae quia infoecunditatem potius affert feminis, ut pleriſque eſt exploratum.

§. CXXX.

Ad exitum iam veniſſet quaeſtio, niſi quaereretur an communionem iſtam vetet naturae ſocialis lex, ſi infantes natalibus reſtituat ſocietas, eatque ſuppetias feminis quae ventrem ferunt. Non prohiberi Lycurgus (*a*), & Plato (*b*) ſenſerunt. Id Thomas Campanella (*c*) ſimiliter docuit; fuiſſeque in more poſitum apud Taprobanenſes, Ichthyophagos, Hylophagos, Garamantes, Troglodytas, Agathyrſos,alioſque vetuſtiſſimos populos teſtis eſt Puſendorſius (*d*). Sed

(a) Plutarchus in eius *Vita*, & Xenophon *De rebus & Legibus Lacedaemoniorum*.

(b) Lib. V. *De Repub.*

(c) *De Civitate Solis*.

(d) *De Iure Nat. & Gent.* lib. VI. c. I. §. XV.

etiamſi infantes natalibus reſtituti ſint, & feminis uterum ferentibus adiutrix veniat ſocietas: nihilo ſecius rogo adverſarios, qualia hinc emolumenta ſocietati obvenire poſſe ducant; & praeterea quaero putent ne ſublata idcirco incommoda omnia quae a me ſunt expoſita. Baelius ipſe qui (*a*) cenſet ſolos religionis patefactae divinitus fraenos efficere, ne homines eadem facilitate, qua librum, uxores aliis commodent ſuas; Baelius, inquam, fatetur multas lacrymas ſocietati & damna & confuſionem afferri debere a communione feminarum. Haec itaque ſi actu ponatur, ne dum malum per ſe eſt; ſed foecundiſſima etiam origo malorum. Ea delectentur per me licet laſcivibunda ingenia: mihi tamen videor ſuſceptae Philoſophiae nomen non amittere, quamvis haec flagitia non probem (*b*).

(a) Epiſt. XVII. §. V.

(b) Dionyſius Halicarnaſſenſis legumlatores quoſdam fuiſſe ſcribit, *qui exemplum a brutis ſumentes ſolutos & communes concubitus maris cum femina fecerint; quod hoc modo humanam vitam ab amatoriis furoribus a ſe liberatam imputarent; quodque zelotypiam mutuarum caedium cauſſam eſſe iudicarent: denique quod homines a multis aliis malis, quae & privatas domos, & integras civitates propter mulieres ſolent invadere, a ſe liberari poſſe exiſtimarent*. *Antiq.* p. LI. At nullum talem

§. CXXXI.

Minuitur controverſia ſi poſtulatur an prohibeat naturae lex uſum plurium feminarum, quae individua vitae conſuetudine viro alicui adiungantur. Uſum vero huiuſmodi πολυγαμίαν vocant. Hac conceſſa & certi liberi ſunt & certi patres, mutuaque parentum opera & cura pueri educari inſtituique poſſunt. Haec igitur nec bono nuptiarum opponitur, nec fini felicitatique ſocietatis. Iſta autem proferunt Ochus (*a*), Beauſobre (*b*), Seldenus (*c*), Melancton (*d*), Iohannes Lyſerus (*e*), & aliqui etiam e Theologis noſtris, ut Durandus (*f*), ut Abulenſis (*g*), aliique. Contra auctore Ulrico Hubero, cui innumeri alii ſuffragantur, uxorum multitudo connubii naturam frangit: ea quippe inducta & conſtituta iacet connubii ipſius

---

legislatorem nominat, nec forte nominare poterit, inquit Samuel de Coccei *Diſſert. Proem. XII.* lib. III. cap. IV. ſect. VI. §. CLXXIV.

(a) In *Tractatu de Polygamia*.

(b) In *Bibliotheca Germanica* tom. III.

(c) *De I. N. iuxta diſcipl. Hebraeorum*.

(d) In *Tractatu de Arbore Affinit. & Conſanguinit.*

(e) In *Diſcurſu politico de Polygamia*.

(f) In 4. *Sententiarum* diſt. XXXI. quaeſt. I.

(g) Super *Matth.* 19. qu. XXX.

finis, qui generatione ſobolis, & congruenti educatione continetur, ut colligitur ex iis quae hactenus explicata ſunt. Praeterea aegritudines, & rixas, & emulationes, & iurgia inter feminas naſci neceſſe eſt, niſi vir aequali uxores omnes benevolentia complectatur. Id autem quis ſanus credat, aut quis ſperet paullulus licet cognitor cordis humani? Omitto incommoda alia, quae acutus Monteſquieu enumerat (*a*).

§. CXXXII.

Neceſſaria eſſe dixi in naturali ſocietate connubia: non inde tamen concluditur, quod Iudaeorum Doctores ſentiunt (*b*), providam ſolertemque naturam voluiſſe, ut omnes ire in matrimonium plane omninoque debeant. Connubii enim neceſſitate tota utique ſocietas premitur: at individua quaevis adſtringi ſi iuſta cauſſa ſubſit non nubendi, nemo dicet. Aiunt (nihil eſt enim quod non aliquis dixerit Philoſophorum) nos obligari iis omnibus, quae ſocietatem tuentur, eamque augent ac beant: huiuſmodi vero

(a) *Eſprit des Lois* liv. XVI. ch. VI.

(b) Seldenus *De Iure Nat. & Gent. iuxta diſcipl. Hebraeorum* lib. V. c. III.

eſt connubium. Aiunt mares ac feminas perpetuitatis cauſſa machinatam naturam eſſe molitamque partes corporis & ad procreandum & ad concipiendum aptiſſimas; ſimiliter miram in femina & mari veneris libidinem poſuiſſe. Quo autem pacto intelligemus nihil horum eſſe fortuitum, niſi omnes uxorem ducant? Agunt etiam exemplis ſi vis, & Romanorum Cenſores commemorant, qui obſtabant ne quis caelebs eſſet, caelibeſque ipſos a teſtamenti factione & teſtimonii dicundi facultate arcebant.

§. CXXXIII.

Brevius anguſtiuſque concluduntur a me iſta, quae uberius & fuſius ab aliis diſputantur. Sic autem rem ſe habere cenſeo ut ſocietas eſſe & beata eſſe poſſit, tametſi plurimi a nuptiis ineundis abſtineant: ex quo efficitur id quod volo, non omnia individua adſtringi neceſſitate nuptiarum. Si quis ſane beatiorem ſe fore cognoſcat, modo *ἀγάμος* ſit; intereaque officia omnia faciat quae poteſt & ſociales virtutes colat; hunc tu reprehendes, hic ne vapulabit ſermonibus Philoſophorum? Eadem eſt omnium hominum natura. Ergo eadem eſſe oportet

omnium fabricatio. Num partes aliquae ad uſum procreationis neceſſariae in iis tantum collocari debuerunt, qui parati ſunt liberis gignendis? Si nullae eſſent blanditiae connubii, ſi omni lubidine procreandi homines privarentur; quis ſibi uxorem adiungeret? Nec moveor exemplo Romanorum: non quod eos contemnam; ſed quia inter omnes convenit rem quamvis perſpicuam dubiam fieri, ſi eam factis metiamur.

§. CXXXIV.

Sed connubii officia indigitemus. Principio qui uxorem nanciſci vult & coniungere amicitiam inireque ſocietatem qua nulla firmior eſſe poteſt; in id ferri non debet impetu quodam concitatae voluptatis: ſed ſuum noſcat oportet ingenium, illud noſcat etiam mulieris; acremque ſe & bonorum & vitiorum utriuſque iudicem praebeat. Non igitur blandiuſculum os, non venuſta corporis forma, non cetera ad quorum deliberationem ſoli ſenſus advocantur eum illiciant ac moveant; ſed dotes habilitateſque ad individuam vitae conſuetudinem opportuniores, ſed conſilium & virtus. Incredibile eſt quantae conſequantur calamitates ex te-

merario imprudentique delectu. Quae eadem in mulierem cadunt.

§. CXXXV.

Inito matrimonio non ſolum mutuam ſibi operam praeſtare coniuges debent; ſed datam etiam *fidem* ſanctiſſime cuſtodire ad ſervandum ius ſocietatis illius qua connubium continetur: quum laedatur & ruat veluti violata fide. Quomodo enim ſingulorum marium ſuae & propriae ſingulae erunt feminae & viciſſim, ſi cum alienis corporibus commiſceantur? Perfidia iſthaec *adulterium* dicitur, cuius turpiſſimum vitium morum corruptioni latam aperit viam; quantoque depravati mores ſunt tanto etiam magis dominatur. Hinc quum flagitii huius non erubuit olim Roma; quum ob hanc unam cauſſam faſtidiebant Romani uxores quod eas addictas tenerent; quum gratulabantur ſibi de caſtimonia & fide mulieres ſi unum dumtaxat amaſium deperirent; quum iudicia de moribus & ſtatutae leges iacere coeperunt (*a*); tunc perditi civium mores rei totius publicae perniciem clademque pe-

(a) *Eſprit des Lois* liv. VI.

pererunt (*a*). Non ego is ſum qui velim ad aetatem hanc noſtram traducere quae contigerunt aevo Romanorum, ne excedat animo reverentia quae connubiis debetur, aut ne ea exeram quae iuſtitia ac honeſtas damnant & exſecrantur, quibuſque Religioni non rubor ſolum ſuffunditur, ſed lacrymae etiam ſuboriuntur.

§. CXXXVI.

Quemadmodum poſtulat ex mutuo conſenſu orta ſocietas, ut datam fidem coniuges ſervent: ita connubii amicitia vult, ut copulentur omnino eorum voluntas & cor. Ex hoc autem poteſt intelligi quid reliquum iis praeſcribat iubeatque natura. Recole quae de amicis docui, quorum quae ſunt propria, inter coniuges maiora ſint oportet ob arctiorem illam coniunctionem qua iunguntur. Huius amicitiae uberrimi ſunt fructus: modo enim conſentiens conſpirans & ſancta ſit, connubii vinculum dulce & gratum reddit, efficitque ut a iurgio, a zelotypia, a contu-

(a) *Foecunda culpae ſaecula nuptias*
Primum inquinavere & genus & domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. Horat. lib. III. od. VI.

meliis ambo coniuges temperent ſe, ut alter errata alterius & vitia patienter ferat, ut ſibi mutuo pareant, ſe colant ac revereantur, nihilque omittant eorum quae ad concordiam, ad quietem, ad felicitatem valent. Quae quidem omnia abſque prudentia, lenitate, modeſtia, affabilitate, aliiſque virtutibus his ſimilibus adhiberi non poſſunt. Sanctiori huic amicitiae aliena videtur in primis vita vaga & ſeiuncta: niſi enim coniuges una vivant & habitent, tepeſcit paullatim amor, qui firmus & concors inter ipſos exardeſcat oportet, ut connubii muneribus accurate fungantur. Quo pacto ſibi creditos a natura liberos optime inſtituent, ſi ſeorſim viventes individuam vitae conſuetudinem negligant (*a*)? Taceo pericula innumera, in quae ruere ii poſſunt non ſine damno & dedecore foederis connubialis (*b*).

§. CXXXVII.

Quotidiana experientia nos edocet maribus mentem eſſe aptiorem negotiis geren-

(a) Haec individuae conſuetudinis opinio eo addit animum feminis in India citeriore, ut praecipites ſe ipſae ad comburendum ruant demortuorum virorum cadaveribus inſtratae.

(a) Vide Ariſtotelem *Oecon.* lib. II., & Plutarchum *Opuſc. Coniugalia praecepta*.

dis; imbecillius iudicium feminis, & vires ſimiliter infirmiores. Utrum id ſemper & ubique contigerit, neſcio. Sunt qui ſolam educationem huius infirmitatis incuſent: ſed videant, quaeſo, ne traducantur per ora hominum quaſi ardentiores patroni feminarum. Illud exploratum eſt pauciſſimas ſapere in tanta multitudine earum quae deſipiunt: nec mirum propterea ſi nationes ferme omnes virum tamquam principem & caput mulieris habuerint (*a*). Quam quidem dignitatem sacrae literae luculenter confirmant. Viro itaque ſubeſſe debet mulier, eique in iis quae ad rectam domus adminiſtrationem pertinent, obtemperare. Ita prorſus exiſtimo niſi teruncii virum nacta ſit, & ad rem ſuam bene gerendam ineptum (*b*).

§. CXXXVIII.

Quum non omnia poſſimus, nec poſſideamus omnes; nec quaecumque alii aliis tribuunt, benevolentiae & humanitatis gratia tribuant: aequum & fructuoſum eſt, ut in

(a) Hinc illud viri imperium in uxorem ſuam, quod laxavit ſe in latitudinem iuris vitae & necis. Hinc communis illa mulierum ſervitus tota licet repugnante natura.

(b) Vide *La Regle des devoirs, que la Nature inſpire à tous les hommes* tom. III. ch. II.

ſtatu etiam naturae qui iuvari cupit ab altero cum eo de officiis commutandis conveniat .... Ventum hic eſt ad *pacta :* praevius enim conventus duorum aut plurium, qui ſibi mutuam fidem dant de quadam officii commutatione *Pactum* nuncupatur. Quoniam ſpeciatim dixi de parentum & liberorum & coniugum muneribus ; ingreſſus ſum etiam ſcribere de officiis eorum qui paciſcuntur. Illuſtranda ſane meis literis diſputatio, ut plene ſit cumulateque perfectus locus officiorum, quae ex peculiaribus magiſque neceſſariis hominum reſpectibus oriuntur. Age igitur quae ſint paciſcentium munera videamus.

§. CXXXIX.

Ex officii commutatione, quae inter aliquos convenit, cuiuſque gratia fides noſtra obligata eſt, dominium ſeu ius eius, quod eſt proprium, in alium transfertur: idque pacti definitio & natura abunde confirmant. Nemo igitur niſi iniuria a data fide ſubducere ſe poteſt, & eum cum quo pactus eſt, de quaeſito iure deturbare. Haec vero non diſcindendi pacti obligatio, ut vides, ad commune illud praeceptum revocatur (§. LXXVIII): *Quod tibi fieri non vis, al-*

teri id ne feceris. Hinc qui a pactis huius generis diſcedit, & iuſtitiam violat, & damnis rependendis tenetur (§. LXXVII.).

§. CXL.

Attamen ius nullum naſcitur ei cum quo paciſceris ſi *mutuus* conſenſus deſit, ut patet. Deeſſe autem ſumitur, ſi compos tuae mentis non ſis. Inimus enim pacta utilitatis cauſſa. At quomodo paciſcendo intelligemus, utrum utile an noxium futurum ſit id de quo pactum conventumque eſt, ſi rationis uſura deſtituamur? Hinc nullo pactorum vinculo tenentur infantes, ſtulti, ebrii, furentes, & ceteri generis eiuſdem. Ob eamdem rationem conſenſio, de qua diſputo, *libera* ſit oportet. Hinc ſi error non adiuncta ſolum aliqua, ſed ipſam praeſertim pactionis naturam comitetur; ſi vis, ſi dolus, ſi gravis & iniuſtus metus ad paciſcendum impulerunt, detrahitur vis pacto, ab eoque diſceditur impune (*a*). Item ſi turpe aut iniuſtum ſit id, de quo convenit, nullam vim habet pactum: etenim ne illud ſerves naturae lex iubet. Quare conſenſus, quo te devincis ad

(a) Vid. Cic. *Off.* 3.

officium quodpiam praeſtandum, & mutuus, & liber, & *honeſtus* deſideratur. Conſenſus porro aut exprimitur ſignis, aut ſubauditur. Tacitum hunc conſenſum ipſa rei natura, vel eius etiam adiuncta patefaciunt: ſic ſilentium aliquando ſignum eſſe poteſt non dubiae conſenſionis (*a*).

§. CXLI.

Dixi de pactis, nec meminiſſe contractuum ſpeciatim volui, quorum difficilem pleni oremque diſputationem Iuriſperitis relinquo. Sane ſcribenti mihi de fide, quae religioſe ſervanda eſt dum paciſcimur, latiſſima pacti notio ſufficit quae pertinet ad omnia quum nihil ſine pacto contrahatur. Qui fidem hanc ſanctiſſime ſervat, hunc *honeſtum* hominem dicimus, *perfidum* qui eam violat. Sine fide non ſtat ſocietas. Eam tolle, &

(a) Signa alia plurima taciti conſenſus ſtudioſe collegerunt Pufendorfius *De I. N. & Gent.* lib. IV., Boeclerus ad lib. II. *De Iure Belli & Pacis* c. IV. §. V., & Mullerus in Diſſ. *De Officio circa ſigna inter homines recepta praeter ſermonem*. Cetera quae huc pertinent complexi ſunt Thomaſius Diſſ. *De promiſſione incerta*, & Burlamachius in opere pluries citato. Utinam ex ſimpliciori Philoſophia haec manaſſet omni aetate pactionum doctrina! Illud certum eſt in fori diſputationibus hunc locum ſegetem quamdam uberrimam eſſe litium ſempiternarum.

rixae, & diſcordiae, & inimicitiae, & clades, & bella erunt, & pernicies generis humani (*a*). Colendum igitur *venerabile hoc fidei numen, quae dexteram ſuam, certiſſimum ſalutis humanae pignus oſtentat* (*b*). Innumera religioſiſſimae fidei exempla ſuppeditant Scriptores rerum Romanarum (*c*). Aegyptiis ſimiliter hanc legem fuiſſe ſcribit Diodorus (*d*), ut periuri capite punirentur: *quia duplici ſcelere obſtricti & pietatem in Deos violant, & fidem inter homines tollunt maximum vinculum ſocietatis*. Nulla eſt denique ad civilem aliquem cultum deducta natio, quae fidei decora, dignitatem, emolumentum & fructum non ſentiat ac fateatur. Attamen ra-

---

(a) Fides de qua loquor illud poſtulat, ut ſtemus illi etiam promiſſo, quo alicui benefacere eo pacto ſpondemus, ut is beneficium noſtrum ſemper pro beneficio habeat; quo nullum transfertur dominium & ius; quodque deſeritur ſine iniuria. Latius etiam patet, iubetque ut arcana colloquia cuſtodiamus, ut ſimplices & ingenui ſimus, ut captiunculas & fraudes exſecremur, neminemque, tametſi adverſarius & hoſtis & perfidus ſit, verbis, aut factis decipiamus. Vid. S. Ambroſ. II. *de Off.*

(b) Valer. Maxim. lib. VI. c. VI.

(c) Apud Iuſtum Lipſium *Monita & Exempla Politica* c. XIII.

(d) Valer. Maxim. loc. cit., Cicero *Off.* III., Dio. *Rom. Hiſtor.* lib. LVI., alii.

rior eſt fides in terris, quam credi & percipi poſſit. Labitur haec in urbe: titubat iam, ac vacillat ruri.

§. CXLII.

At enim ſi qui nolint id facere quod promiſſum pactumque eſt, quae erit animadverſio hominum perfidorum? Quum nulli ſint in ſtatu naturae qui publico fungantur munere iudicis & magiſtratus, poteſtatemque habeant cogendi ad iura ſervanda (*a*); auctoritatem, conſilium, operam amicorum interponere neceſſe eſt, qui lites dirimant, & adverſos animos blande componant. Arbitri etiam eligendi qui labem fugiant improbitatis & inſcitiae & calliditatis; qui ab aequo & bono flecti ſe non patiantur, aut gratia, aut amicitia, aut quaeſtu, aut alia cupiditate; qui utantur, quum opus eſt, teſtibus probatiſſimis ad ſedulam facti indagationem.

(a) Placuit Lokio *Du Gouvernement Civil* ch. I. ius eſſe omnibus in ſtatu naturae puniendi eos qui in aliquem peccarunt, ſi vindicationem referant ad conſulendum generi humano. Sed quum pravis affectionibus & cupiditatibus ſaepiſſime impellantur homines; quid non invehere malorum poterit, haec exigendae poenae, puniendorumque delictorum poteſtas!

Nihil frequentius diſſidiis huiuſmodi. Homines enim, ut aiebat Cicero (*a*), *veri iuris germanaeque iuſtitiae ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenent, umbra & imaginibus utuntur; eaſque ipſas utinam ſequerentur!*

(a) *Offic.* lib. III.

DE MORALI DISCIPLINA
HUMANAE SOCIETATIS
LIBER SECUNDUS.

DE ADVENTITIA SOCIETATE.

CAPUT I.

DE CAUSSA OB QUAM HOMINES A NATURALI SOCIETATE AD HANC ALTERAM DEFLUXERINT.

§. CXLIII.

IN eo evigilaverunt curae & cogitationes meae, ut explicarem quae ſit naturalis commendatio hominum, quae ſint officia & virtutes, ſine quibus nec eſſe, nec felix eſſe poteſt ſocietas qua conglutinamur omnes ſine praeſidio pactionum. At quum omnes ſimiliter in ea ſocietate nati & alti ſimus ad quam familiae regionibus caſiſque olim disiunctae confluxerunt; in qua magiſtratus conſtituti, ſcriptae leges, temperata naturae aequalitas; in qua demum imperantes alii, alii qui imperiis & poteſtatibus parent: omnium etiam intereſt

ſcire quae ſit origo ſocietatis iſtius, quae maxime digna iuſto homine nunc ſint, quaeque honeſtos etiam viros deceant; ne quid in eo rerum genere peccetur quae pertinent ad bene beateque vivendum. Haec autem omnia enucleanda ſunt atque ab hominum repetenda natura, qua duce hic errari non poteſt. Rem ago de qua Philoſophi, Iuriſque periti ſpiſſa volumina edidere. Utinam omnes nec occulta permotione ulla acti, nec tempori aut propriis commodis ſervientes ſcripſiſſent! Sed neſcio quo fato ſic res ſe habet, ut ferme ſufficiat regionem aut urbem noſſe, in qua quis ſcripſit, aut librum edidit, ut exinde etiam in qua ille ſit mente noſcatur. Ad me quod attinet mea libertas diſſerendi amiſſa non eſt: nec ego is ſum (dicam modeſte) qui in diſputando non meum iudicium ſequar, ſed auctoritati aliorum paream. Nam auguſtam veritatem in primis colo, eique generoſus adhaereſcerem quum opus eſſet, tametſi fractus orbis illaberetur; & Principem praeterea nactus ſum magnanimum, excelſum, pium, qui non ſolet offendi veritate. Quamobrem licet magna huius diſputationis pars peſſimis nebu-

lonibus obviam eat, qui ſacris ſummorum Principum iuribus noctem offundere, & imperii fundamenta ſubvertere conati ſunt: confido tamen animo & ſpe, fore ut eae a me eluantur maculae, atque ab ea labe expurger, qua plurimi Scriptores aſperſi ſunt ab ingenuo aliquo recentium Philoſophorum.

§. CXLIV.

Illud conſequitur ex meditatione cordis humani, inquit procax vitiorum laudator Mandevilius (*a*), homines qui ſuae ſpontis ſunt, quos non poena, non metus ſupplicii, non legum vis deterret ab iniurioſa facinoroſaque vita, vix ſeſquihora una mente & voce de re quapiam conſentire. Nam quum ita comparati ſint natura ut ament ipſi ſe vehementiſſime, & ad ſuum quique commodum referant omnia quae agunt; fieri vix poteſt, ne ſaepiſſime rapi ſe in damnum ac perniciem aliorum patiantur. Sane licet in ea ſocietate vivamus, in qua proviſum eſt multiplicibus legibus, ne quis ab officio diſcedat; quotiquique ſunt qui officium faciant, qui aliorum emolumentis conſulant,

(a) *La Fable des Abeilles* t. II. p. 235.

qui generoſe contineant praepotentes affectiones animi, & mores conforment duce ratione! Itaque poſſumus ne iudicare iuſtitia & honeſtate privatam utilitatem dirigere omnes voluiſſe in naturali illa ſocietate, de qua dixi, & diu manere coniunctos potuiſſe viciſſitudine ſocialium officiorum? Immo a tota mente, & a ratione defectio deportare de officiis & virtutibus triumphum debuit. Saeva neceſſitas pugnarum, iniuſtae fortiorum hominum victoriae, debilium clades aut ſervitus, humanorum iurium contemtus, vinculorum omnium fractura quibus coniuncti homines cohaerebant: en mala, ut reor, ſtatus illius, in quo ſuo quiſque arbitratu vivebat.

§. CXLV.

Appetentes percupidique homines felicitatis non potuiſſent contra haec mala, a quibus miſere premebantur eſſe conſtanter armati, nec praeſidia habere ulla in ſe bene beateque vivendi; niſi eam ſocietatem conciliaſſent, qua ſublata peculiaris arbitrii licentia, & coniunctis ſimiliter viribus individuorum concupita tandem ſecuritas obtineretur. Conſenſus & ſocietas virium a con-

ſenſu & ſocietate voluntatum naſcitur. Congregati ergo homines, eam conſociationis formam inſtituerunt, qua, ut inquit poſt Vincentium Gravina Carolus de Secondat (*a*), omnium vires in unam vim coaleſcerent, voluntatemque unam efficerent commixtae veluti & coniunctae voluntates individuorum. Ex iſta conſociatione hominum, pergunt alii, morale quoddam corpus gignitur, cuius totidem membra ſunt quot ſuffragatores in conventu fuerunt: ex quo fit nullam eius partem laedi unquam poſſe, quin corpus laedatur; nec corpus offendi, quin offenſio in membra ſimiliter pariterque redundet. Porro corpus huiuſmodi modo *Civitas*, modo *Civilis Societas*, modo *Corpus Politicum* dicitur. Poteſtatem autem & vim huius corporis in membra quaeque, ſi a generali voluntate regatur, *Summum Imperium*, aut *Maieſtatem* vocant.

§. CXLVI.

Haec quum expoſuerint, adiungunt conditiones, quibus conſociati homines ſunt *leges* appellari; propertereaque leges ferre ſolam & communem omnium voluntatem poſſe. Hinc

(a) *Eſprit des Lois* liv. I. chap. III.

effici volunt generalem & abſtractam ſemper eſſe materiem, circa quam leges verſantur, nec eum propria libertate deſtitui qui legibus his paret, quum nihil ſint aliud, niſi codex ſingularium voluntatum. At quamvis recta communis voluntas ſit; nihiloſecius hanc decipi poſſe dicunt dum quidpiam decernit. Quo igitur pacto aſſequetur civitas quae omnium felicitati conſentanea ſunt, ſi haec omnia velit ea quidem, non ſemper videat? Perſpicua exinde fit deligendi legislatoris neceſſitas, qui optimas leges inſtituat, quae non diſcedant a conditionibus initae pactionis, & in quas robur & vis a generali voluntate fundatur & manet.

§. CXLVII.

Omnis libera actio, ſubdunt, a duabus potiſſimum cauſſis naſcitur, quarum una *moralis* eſt, nempe voluntas quae actum decernit; altera eſt *phyſica*, nempe vis qua actio ponitur. Simili autem ratione corpus politicum moveri aiunt; iccircoque vim pariter in eo a voluntate diſtinguunt. Hanc vocant *poteſtatem legum ferendarum*, illam quae leges ipſas *exſequitur*. Legumlatrix poteſtas numquam a communi voluntate diſ-

iungitur, ut docent: ſed certant pugnaciter; nec eſſe voluntatis huius poteſtatem alteram concedunt: quippe quae peculiaribus actionibus contineatur, circa quas verſari communis lex nequit. Hinc publicam *adminiſtrationem* neceſſariam dicunt, cuius auxilio communis vis perficiat omnia ad nutum communis voluntatis. Dum vero eligitur qui debet officio fungi adminiſtratoris quo ſpectare lex nequit; ſummum imperium vicem ſupplet magiſtratus, ab ipſaque lege ad eius exſecutionem tranſit. Hac ratione ſociatis hominibus inter ſe illud effici concludunt, quod quaerebatur, ut ii officio & communi emolumento conglutinentur; ut cognoſcant & colant munera ſocietatis; ut nihil praetermiſſum ſit, quominus obtineantur, quae communis felicitas praeſtolatur & iubet.

§. CXLVIII.

Ecce quae ſint tandem illa myſteria pacti ſocialis, quod ſaepe crepant inter privatos parietes, aut etiam inter amicos praeclari quidam novitatis amatores, qui non audent in conventu dicere quid faciunt, quid cogitant, quid optimum denique in vita eſſe arbitrantur. Has ego ſubtilitates aliis

diſcutiendas relinquo, licet Philoſophia quidem digniſſimas iudicem. Sed caveant ne dum res occultiſſimas aperire in lucemque proferre dicunt, confundant vera cum falſis, principes ſpolient auctoritate, & ſubditas gentes in contraria ſcindant ſtudia non ſine detrimento publicae felicitatis. Intendo ego aciem oculorum, animoque univerſam terrae faciem quam incolimus luſtro; & nihil cerno quod homines cum hominibus eo pacto coniunctos expreſſe confirmet. Video undique moderatores & duces rei publicae (*a*), qui populos ut proprios & ſuos habent, atque abſolutiſſimum ſibi imperium poſtulant iuribus victoriae aut ſucceſſionis. Contra populos ipſos video qui principum auctoritati cedunt, eiuſque iuſſis ac legibus obtemperant, quin recordentur umquam primum ortum ſocietatis. Si praeterea replico memoriam temporum etiam diſſitorum, ſi evolvo & ſcrutor hiſtoriam, vix habitam fuiſſe rationem invenio ſocialis illius pacti, aut liberae conſenſionis (*b*). Quae quum

(a) Hume *Eſſais Moraux & Politiques*, Eſſai XXV.

(b) Plurimarum forte exorientium ſocietatum Romanae & Venetae praeſertim initia a libero hoc conſenſu arceſſen-

ita ſint nihil inutilius quam tempus terere in omni hac diſputatione explicanda, cuius nullus in actu poſitus eſt fructus, & ſpinae innumerae ſunt multiplici artificio contextae.

§. CXLIX.

Itaque ad rem noſtram quod pertinet, hoc unum obverſari animo ſat eſt, ardore privatae utilitatis inflammatos atque incenſos homines ea aſciſcere & probare debuiſſe in naturali ſtatu, quae proiiciebant per ſe proſternebantque beatam vitam: ex his anguſtiis evadere non potuiſſe, niſi a primigenia aequalitate declinaſſent aliquantu-

da ſunt, cuius ſpecimen quodpiam aevo etiam noſtro dant gentes aliquae Americae, Africae Meridionalis, Laponiae, Siberiae, ac reliquae ad Septemtriones Tartariae, quae nulli hominum ſubiectae, ducem eligunt quum opus eſt, atque ab eius nutu pendent, donec ad optatum adventitiae conſociationis finem perveniant, ut Ioſeph a Coſta, & innumeri alii ſcribunt. At enim quae umquam finguntur mala primigenii ſtatus, ſi una cum ſaeculis aetatibuſque hominum inveterare apud aliquos hic potuit? Crede mihi, nihil contra me faciunt exempla quarumdam nationum, quae nulla ſunt ſi cum ceteris comparentur. Praeterea ſi rectorem & ducem eligunt quum opus eſt, iam cernis imaginem aliquam politicae ſocietatis. Conſule Dampierium, Kolbum, Garcilaſſum de la Vega, Maupertuiſium, alioſque.

lum (*a*), & ſocietatem iniiſſent, in qua alii ſummae rerum praeeſſent, & omnem darent operam pariundae omnium felicitati; alii ſtatutis legibus ac iuſſis religioſe parerent, & regi ſe ac gubernari ſine querimonia paterentur. Quae quidem nova hominum conſociatio *civilis* ipſa ſocietas eſt, in qua vivimus (*b*). Haec vero regentem om-

(a) Qua in re diu tentabundi incedere debuerunt, donec nova rerum perturbatio, novae indigentiae, nova deſideria, perfectior denique facultatum evolutio, & magiſter rerum uſus effecerunt, ut id ii aſciſcerent ac probarent, quo uno poterat expetita omnium felicitas obtineri.

(b) Alii diverſa ratione originem explicant civitatis. Hobbeſius, Monteſquieu, Puſendorſius, Helvetius a *metu* eam ortam eſſe ſumunt. A *violentia* profectam eſſe Lingueto, Bodino, Heineccio, Bohemero, Alvaro Pelagio viſum eſt. Contra ex paterna auctoritate extitiſſe Filmerus aliique non ſine aliquo plauſu arbitrantur. Initio enim diuturnior erat hominum vita, iique uxores plurimas ducebant. Hinc progreſſu temporis diverſas familias unius hominis auctoritas moderabatur; quamquam una domo eae iam capi forte non poſſent, atque in alias tamquam in colonias exiiſſent. Quum vero difficile in primis ſit ſine ſuprema quadam poteſtate frequentem ſocietatem conſiſtere poſſe; hinc concludunt parentum poteſtati ſe ſubieciſſe omnes, licet ad maturam aetatem provectos, eoſque, ut inquit Plato *de Legibus* lib. III., quaſi aves ſequutos gregem unum confeciſſe. Sed perturbat me opinionum varietas, Scriptorumque diſſenſio. Generatim ne labamur hic errore ſermonis, ignoreturque id quod in primis quaeritur; diſtinctione aliqua uti neceſſe eſt.

nia ac tuentem Deum auctorem habet. Quidquid enim neceſſarium eſt ad beate vivendum, hominibus iubetur iure naturae. Sed debuerunt iſti politicum foedus inire ut beati eſſent, quemadmodum dixi. Itaque a iuſſu naturae foedus hocce profectum eſt (*a*). Legum autem naturalium auctor & vindex Deus, ut oſtendam alibi. Quare ab eius voluntate repeti tandem debet inſtitutio corporum politicorum; & ideo ordinationi praepotentis Dei reſiſtit, ut docet Paullus Apoſtolus, qui reſiſtit poteſtati.

§. CL.

Unum obiicitur, quod refellendum eſt. Primigenio ſtatui libertas adnectitur donum & munus naturae, quae dicitur poteſtas vi-

---

Vel enim probabilis cauſſa inquiritur ob quam in civicas ſocietates coire homines debuerunt, ſaltim ſi eorum naturae ratio ducatur; vel initia inveſtigamus & finem corporum politicorum, quae fuiſſe olim aut nunc eſſe videmus. Philoſophi prima quaeſtio eſt: alteram Hiſtoricus doceat ſi poteſt.

(a) A natura effectos eſſe homines ad civilem ſocietatem placuit Ciceroni lib. I. *De Legibus*, Friderico Hornio *De Civitate* lib. I. c. IV., Conringio *De Prudentia Civili* c. VI., aliiſque doctiſſimis viris. Num contra naturam homines feciſſent, ſi ea colentes quae beatam vitam efficiunt, non dediſſent locum politici foederis neceſſitati?

vendi ut velis. At multa facere inviti, multa coacti debent, qui alterius imperio ſubſunt, quum iſte leges imponat, praeſcribat, iubeat, vetet quod ei videtur; & praeterea ſi poſcit, dandum eſt; ſi vocat, veniendum; ſi eiicit, abeundum; ſi minatur denique, extimeſcendum. Ii ergo non modo ſervi, ſed miſerrimi ſervi appellandi ſunt. Ratio ergo & factum ipſum convincunt liberum eſſe neminem in civitate. Quo igitur modo niſi ſit inutiliter datum ius libertatis, aut fruamur iuribus, quae pugnant inter ſe, ſuaderi nobis poteſt civilis coniunctio ab amore felicitatis?

§. CLI.

Popularia ſunt iſta; elegantiora deſiderabam: haec enim ii obganniunt qui falſa libertatis ſpecie decepti ad libidinem vivere expetunt, & ſalutare iugum excutere imperii & legum. Itaque cenſeo nervos omnes elidi poſſe eius quod dicunt, ſi doceam quae vera idea reſpondeat libertati. Hanc venerati ſunt multi eiuſque aras profano thure adoluerunt, ignotus licet ipſis eſſet Deus cui litabant. Sic Athenienſes liberos ſe eſſe arbitrabantur quum omnes immoderatae licen-

tiae habenas effunderent, & meritum & virtutem oſtraciſmo ac cicuta punirent, vexarentque Ariſtides, Socrates, Phociones eximios illos viros digniſſimos laudum aeternarum. Libertas ad hunc locum quod attinet in eo ſita eſt ut homo facultatibus utatur ſuis ad ea eligenda, quae beatam vitam parant; quin ulli mortalium rationem reddere teneatur, quamobrem omittat aut faciat aliquid. Attamen quum a licentia haec debeat libertas diſcrepare; ratio coerceat neceſſe eſt temeritatem eius, eique imperet velut ſervo dominus velut parens filio; & tandem efficiat, ne quid agamus unquam quod repugnat naturae.

§. CLII.

Haec vero temperatio libertatis perficit non minuit arbitrium generis humani. Ea fiant omnia quae velle, omittantur quae nolle unuſquiſque debet: ubi eſt iſta libertatis iactura? Dum leges vetant ne iniurioſus ſim in alios; an non roborant libertatem meam, ne aliena vi ac fraude impediatur? Amiſerunt ergo homines eam libertatem, ob quam iacebant in malis: at deleto hoc liberi arbitrii vitio amotaque licentia, vera eorum

m

libertas manet; & in aevum quidem manebit, donec leges recta hominum deſideria exprimeat; donec communi omnium bono conſulent, & pauperes aeque ac divites defendent; donec ambitioni obviam ibunt & invidiae & odio & zelotypiae & ceteris morbis civitatis. Huic ergo temperationi libertatis maxima habenda eſt gratia, quod omnes in viam tranquillae beataeque vitae deducat. Nec natura leges tulit quae ſecum ipſae pugnent, ut adverſariis viſum eſt. Si enim coluiſſent homines officia ſocietatis, non opus erat, ut dixi, inſtitutione corporum politicorum. Sed illis neglectis atque poſthabitis, qua tandem ratione vere liberi eſſe & beate vivere poterant abſque ulla temperatione libertatis? *Ideo legum ſervi ſumus*, aiebant olim maiores noſtri, *ut liberi ſimus*.

CAPUT II.

QUAE SINT FUNDAMENTA LEGUM ADVENTITIAE SOCIETATIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. CLIII.

Ad diſputationes volvimur perdifficiles, quas non ſine magna animorum contentione excitare ſolent viri politicarum & philoſophicarum rerum peritiſſimi. Eas meditanti mihi veniebat in mentem vulgaria & faciliora ſequi; ne quum ipſas propoſuiſſem, audacior aliquibus fidentiorque viderer. At quoniam ad hoc me ſtudium contuli expetens ſub adſpectum deducere, & reiectis involucris aperire quae occulta & involuta ſunt; non ſine patientia inſiſtendum eſſe cenſui, & in omnem partem circumſpiciendum, ut probabilitas ſaltem aliqua mihi ſubluceat in tantis tenebris, quibus circumfuſum eſt quod quaeritur. Feſtina tamen res iſtas percurret Philoſophi hominis oratio; quum ad eas prolabi nolit, quae ſuae non ſunt, ſed privati aut publici iuris peritorum.

§. CLIV.

Homines civile foedus paciſci voluerunt ut ſarta tectaque eſſent communia vitae, libertatis, & dominii iura, in quae ii diſcedentes ab officiis irruebant. Quem finem an ii enuntiaverint, an praetermiſerint ſilentio, nihil refert. Quaecumque huc faciunt deſcribere & patefacere omnibus neceſſe eſt (*a*): ſecus vacillabit ſecuritas adventitiae ſocietatis, ſi nec certa, nec nota ſit norma eorum quae ad actionem referri in poſterum debent. At illud ſtultiſſimum eſt exiſtimare inflammatos inordinata appetitione homines nolle progreſſu aetatis praeſcriptiones iſtas deſcriptas licet & patefactas perrumpere. Quocirca excitandi ii ſunt ad eorum cuſtodiam incitamentis, quae menti perpetuo occurrant & vim coerceant peculiarium affectionum, quarum impetu a communi bono retrahuntur. Recte autem incitamenta haec conſtituta ſunt, ſi ponantur in eo, quod homo etiam non depravatus maxime timet, quodque ſenſus ἀμέσως afficit, ut dixi libro

(a) Aucto indigentiarum numero, & conflictu utilitatum, potis non erant tranquillitati omnium ſervandae recepti mores, qui legum vices initio gerere debuerunt.

primo. Atque id quid eſt aliud niſi dolor? Portio iſta doloris, quaecumque ſit, quae comitatur neglectum praeſcriptionum iſtarum, *poena* dicitur; proptereaque hanc Grotius *malum paſſionis inflictum ob malum actionis* (*a*) vocavit. Porro illas deſcribere, pateſacere, poenam adiicere, idem eſt ac *leges condere & promulgare* (*b*). Iuſtiſſimae quidem leges; quum ex cauſſa civilis conſociationis exiſtant (*c*).

§. CLV.

Circumſcriptis generatim legum criminalium limitibus; qua ratione adiicere poenam oporteat, videamus: *eſt enim poenae modus, ſicut rerum reliquarum*, inquit apposite M. Cicero (*d*). Illud in adventitia ſocietate poſtulatur ut nulla omnino delicta patrentur, aut ea ſint ſaltim minus frequentia quae

(a) *De Iure B. & P.* lib. II. c. II., inflictum quidem a lege; ſecus *privata vindicta* erit, ſi ab eo inferatur qui laeſus eſt.

(b) Poenam legibus adiectam *Sanctionem* vocant.

(c) Leges huiuſmodi quae circa officia ſocietatis verſantur, *criminales* poſſunt appellari, & horumce officiorum neglectum *crimen*. Neceſſariis officiis primigenii ſtatus alia multa adiungi debent, quorum fluit neceſſitas ex ipſa natura corporum politicorum. Haec alius viderit.

(d) Ep. XV. *ad Brutum*.

magis nocent. Non eſt dubium infrequentiora haec fore, ſi quidem iis validius impedimentum afferatur. Hoc autem maioris poenae metu continetur. Itaque non omnia delicta metiri convenit uno genere poenarum.

. . . . *Adſit*

Regula, peccatis quae poenas irroget aequas;

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello,

aiebat Horatius (*a*). Hac proportione contemta omnis iuſtitia funditus tolleretur; omninoque ruerent finis & natura ipſa civitatis (*b*).

§. CLVI.

At enim quid eſt tandem, quod rationem iſtam poenarum conficiat? Conſiderandum, ut ego arbitror, eſt *quale* & *quantum* ſit crimen. Ex qualitate criminis qualitas videtur exiſtere poenarum. Sane crimen nihil eſt aliud, niſi neglectus quidam officii. Officium autem negligis quum alteri aut ſenſus

(a) Satyra III.

(b) Quum diverſa in diverſis hominibus ſentiendi facultas ſit, aliique immites plane & barbari, alii ad humanitatem aliquantiſper inſtituti eſſe poſſint; illud rationi conſentaneum videtur non eamdem vim apud omnes idem ſupplicium habere. Hinc alios leni, alios acerbiori poena a criminibus arcere aliquando neceſſe eſt. Quod ipſum Carolum de Secondat docuiſſe video *Eſprit des Loix* liv. VI. ch. IX.

aut ideae dolorem creas: quod libro primo demonſtratum eſt. Eo igitur aequiores videntur poenae, quo naturali huic principio propinquiores: *Quod alteri attulit doloris genus, illud criminoſus patiatur*. Eſt haec imago quaedam celeberrimae legis *talionis* in Theocratia Hebraeorum *Dens pro dente, vulnus pro vulnere* (*a*); quae etiam in leges Atticas, & inde in illas duodecim tabularum irrepſit, cuius quidem hoc ſupereſt fragmentum: *Si membrum ruptum fractumque erit; talio eſto*. Cognita omnibus ferme gentibus haec lex, ut docet Henricus de Coccei (*b*); qui tamen rite eam intelligi oportere, nec ad verbum ſervari ſemper poſſe animadvertit (*c*).

(a) Ex c. XIX. *Deuteronomii*.

(b) In diſput. *De ſacroſancto talionis iure*.

(c) Finge adulterium porcello redimi, ut mos erat in Colchide; quis riſum teneret ſi qualitatem poenae criminis qualitati accommodatam dicerem? Similiter nemo eſt qui neglectam ac perruptam non videat proportionem de qua diſputo ab ea lege, quae lib. I. tit. XXV. §. LXVII. *Legum Longobardarum* traditur: *Si quis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum; & ſi de duobus furtis probatus fuerit, naſus ei ſcapelletur* (incidatur, frangatur); *& ſi de tribus furtis probatus fuerit, moriatur*. Omitto leges ceteras Francorum, Germanorum, Vindelicorum, Ripuariorum, Saxo-

§. CLVII.

Quantitas criminis metienda videtur aliquibus quantitate damni, quod crimen infert ſocietati. Hinc non apud gentes ſolum immanitate barbaras nullum erat olim diſcrimen criminum quae ſponte aut invito animo patrabantur; ſed etiam apud Graecos ipſos politiores. Namque Athenis lex erat, auctore Demoſthene (*a*), qua iubebatur *involuntariae caedis damnatum ad certum tempus, ac certo quopiam intervallo abſcedere ac exſulare; donec aliquem interempti conſanguineum exoraverit*. In Codice legum, quibus Angliae & Thuringiae populi regebantur (*b*), legem aliam priſcae huic Athenienſium perſimilem legimus: *Qui nolens, ſed caſu quolibet hominem vulneraverit vel occiderit, compoſitionem legitimam ſolvat*. Apud Longobar-

num, Anglo-Saxonum, aliorumque; eas omitto *compoſitiones* delictorum, quae olim in tota ferme Italia invaluerant, quatenus pecunia crimen quodpiam redimebatur laeſae etiam maieſtatis. Harum legum plurimas memorat Monteſquieu *De l'Eſprit des Loix* liv. XXX., & auctor Speciminis legum ex Angla in Gallicam linguam verſi a clariſſimo Bouchaud.

(a) *Orat. in Ariſtocratem*. Huius legis mentionem etiam faciunt Homeri *Scholiaſtes*, & Euripides in *Oreſte*.

(b) Tit. X. §. VIII.

dos autem eo perducta res erat ut multaretur data alicui mors quaeque, etiam ſemet tuendi cauſſa. *Si quis liber homo* (*a*) *ſe defendendo liberum hominem occiderit; & ſi probatum fuerit quod ſe defendendo liberum hominem occiderit, ſic eum componat ſicut in anteriori edicto continetur, quod Lotharius glorioſiſſimus rex inſtituit. Nam qui ſuper alium ambulaverit, & ſic eum pro quacumque cauſſa occiderit, omnem ſubſtantiam ſuam amittat, & habeant eam haeredes ipſius, qui occiſus fuerit in hoc ordine: ita ſane ut ſi minus fuerit ipſa ſubſtantia homicidae, quam antiqua compoſitio erat, aut nonniſi tantum; tunc res ſuas perdat ipſe homicida, & perſona eius tradatur ad propinquos defuncti. Nam ſi amplius habuerit ſubſtantiae, quam ipſa compoſitio anterior erat, amittat omnes res ſuas, & accipiant haeredes mortui in antea tantum quantum antiqua compoſitio fuerat; & quod ſuperfuerat, medium habeat curtis regia, & medium haeredes defuncti, & ipſe homicida animam ſuam liberet.* Quae everſio iurium humanorum Dii immortales!

(a) Lib. I. tit. IX. §. XIX. *Legum Longobardarum*.

§. CLVIII.

Quae hactenus attuli ſatis magnum ſunt argumentum, cur confiteri debeamus veteres illos conditores legum ſolam propoſuiſſe ſibi ante oculos originem ſuppliciorum, licet flagitioſe delabi ſe aliquid paſſi ſint uſque ad immanitatem. Porro ſi ſolum originem illam ſpectes ea certe quemcumque coget, quae a nonnullis dicuntur comprobare. Vult enim publica felicitas ut removeantur crimina, quae communem aut etiam privatorum ſecuritatem tollunt. Id autem ut obtineatur quid iuvat metiri delicta maiore aut minori voluntatis gradu quo committi poſſunt, aut normam ſumere a magnitudine perverſitatis, ab habitu, ab aliis huiuſmodi quae recenſet etiam Puſendorfius (*a*)?

§. CLIX.

Haec tamen licet veriſſima eſſe putem; caput alterum concludere videtur concedi plane omninoque non poſſe iuſtos eſſe criminum aeſtimatores, qui ſolum damnum ſocietati infeſtum reſpiciunt. Effici enim debet ut boni inducantur mores & altiſſimum lo-

---

(a) Lib. VIII. *De I. N. & G.*

cum in populis, & maxime excellentem virtus teneat: quod vetuſtis etiam Graeciae & Latii Philoſophis exploratum in primis fuit. Hinc ſequitur circumſpiciendas eſſe qualitates illas, quae iuxta praefinitas morum virtutiſque notiones delicta ampliora faciunt a quocumque patrentur, quaeque certo ſuppeditant unde ſtatui figique poſſit generalis gradus aliquis *moralitatis*. Ad hanc tamen ſententiam ſatis dociles ſe ii non praebent, qui omne id, quod adverſarios angit, eximi poſſe arbitrantur, ſi illos doceant falſa argumentorum ſpecie moveri, quoniam ad unum damnum quod ſocietati infertur pleraque revocantur eorum quae dicunt: modo crimen voluntarium eſſe ſumatur. Nec etiam intelligere poſſunt quo pacto maior nexus voluntatis cum crimine, (qui ſocietatis nihil per ſe referre videtur) plecti hic ab hominibus debeat; quoniam de re agitur, cuius poſt mortem luendae ſunt poenae ardentibus taedis ſempiternis ob coniunctionem, quae eſt nobis cum Deo. Sic veritatem Philoſophi ſaepe inficiunt & flectunt ut volunt, nec qualis plerumque ſit cernitur ſatis.

§. CLX.

Quae de poenarum qualitate docui, me repugnantem licet in novas anguſtias & in dumeta compellunt. Ea enim quum vera eſſe conceſſero, approbandum etiam videtur ius capite puniendi reperiri in civitate, quod nec perſuaſum, nec probatum omnibus qui Philoſophiam profitentur. Sane imperium omne a familiis delatum fuit civitati; ſed caret unuſquiſque iure necis in ſe ipſum. Quo igitur modo translatum ius dicitur quod non erat; niſi ius cum potentia commiſceatur deſcendaturque ad placita Hobbeſiana?

§. CLXI.

Attamen ſi aequitas, ſi ratio, ſi vis denique concluſionis valet, illud certe efficitur mollem & enervatam putandam eſſe rationem eorum, quibus placet poteſtatem, de qua eſt ſermo, labefactare. Nam ſive lex talionis admittitur in civilem conſociationem transfuſa; & ſatis eſt conſtituta poena capitis, ut Antonius Genuenſis arbitratur (*a*): ſive a iure tutelae praeſidium petitur; & eadem dici poſſunt. Quis enim inutilem aut iniu-

(a) *De Iure & Officiis* tom. II. lib. II. c. VIII. §. XXIV.

ſtam dicet ultimi ſupplicii infligendi poteſtatem, quum neceſſarium eſt ſocietati ut civis quipiam moriatur & pereat?

§. CLXII.

At ecce multo maior etiam diſſenſio. Si a lege talionis poteſtas haec manat & funditur in civitatem, aliquid aſciſcitur & comprobatur iniuſtum, quum ad alia crimina praeter quam ad homicidium protenditur. Si a neceſſitate ſemet tuendi, oſtendenda prius eſt civis mors utilis, aut neceſſaria ſocietati.

§. CLXIII.

Ego non multum haeſitans reſpondebo ultimi ſupplicii poenam ad alia crimina praeter quam ad homicidium iniuria transferri ab humano legumlatore, quando aliter conſuli poteſt bono ſocietatis: quod fuit etiam Formeyo animadverſum (*a*). At ſi ita res ſe habeat ut coerceri delicta non poſſint niſi graviſſima mortis poena inferatur; quis ibit inficias hanc inferri abſque iniuria quum a iure neceſſariae defenſionis ſuadeatur? Ad alterum quod attinet multa ſunt audienda: eſt enim certamen honeſtum & diſputatio

---

(a) *In Princip. Iur. Nat.* c. III. §. LXXXVII.

ſplendida; quia omnis eſt de vitae hominis dignitate contentio.

§. CLXIV.

Civis cuiuſvis mortem neceſſariam dicit vir clariſſimus Beccaria (*a*), quum ille totam ſervitutem patiens, tantam adhuc vim habet ut vacillet ſecuritas ceterorum (quod aut numquam, aut raro accidit): deinde quum a nece illius unice ſit ut reliqui a criminibus committendis arceantur. At legenti ſibi hiſtoriam plurium ſaeculorum nihil occurrit ex quo concludat ultimum ſupplicium abduxiſſe homines a delictis infenſis ſocietati: contra illud ſe ſiſtit nullo maiori malo ſocietatem affectam fuiſſe, tametſi nemini irrogata mors fuerit. Quod exempla confirmant Sabaci regis Aegypti, cuius meminit Diodorus (*b*), qui maximum ſuppliciorum in ſervitutem commutaſſe dicitur; tum Romanorum poſt legem Portiam, quam Livius memorat (*c*), & qua cavebatur, ne Civis Romanus abſque unanimi totius populi ſuffragio huius lucis uſura privaretur; demum

(a) *Dei Delitti e delle Pene* §. XVI.
(b) Lib. I. c. LXV.
(c) Lib. X. c. IX.

Eliſabeth Moſchorum Imperatricis, quae regni gubernacula accipiens neminem ſe morti damnaturam iureiurando firmavit.

§. CLXV.

Praeterea multo concuti magis atque percelli ſentiendi vim docet a levi dolore qui diu maneat, quam ab eo qui brevis eſt; licet nihil ad eius magnitudinem poſſe accedere videatur. Quare validiores fraenos iniicere hominibus dicit ideam eius qui ſocietatis famulatui addictus irrogatas iniurias laborioſo utilique ſupplicio reparat, quam timor violentae necis ſubeundae. Accedit *non tam poenarum gravitatem*, inquit Paullus Riſi (*a*), *quam perpetuam iudicum conſtantiam in poenis ipſis ſine ulla exceptione diſtribuendis ad aliorum exemplum valere. Quoties enim iudicum miſericordia male collocata graviſſimam civitati poenam affert! Immunitatis enim ſpe propoſita improbitatem non elidunt atque opprimunt, ſed potius alunt, atque in dies corroborant.* Si ergo certi fixique ſupplicii perſuaſio, licet leve illud & mite ſit, efficacius a criminibus removet, quam acerbior poe-

(a) In ſuis *Animadverſionibus ad Criminalem Iuriſprudentiam pertinentibus.*

na cui ſpes adiungitur impunitatis; quod docet etiam Vattel (*a*): profecto in nullum diſcrimen adducitur ſocietas ſi mitiores poenas ultimo ſupplicio praeferat, modo improbis nullam oſtendat ſpem eas tandem evadendi. Itaque civis mors neceſſaria eſſe nequit ſocietati.

§. CLXVI.

Pugnantia loqui Beccariam aliquibus viſum eſt (*b*). Sane natura refugimus omnes mori: iique etiam qui vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum contemtione ac deſpicientia, & in omni virtute ponunt, plerumque ob mortis timorem pendent animis crucian-tur anguntur; hanc magis denique quam mala cetera reformidant. Saepe damnati capite iis ſuaviſſima oſcula dedere, ac benevolis eos & frequentibus amplexibus exceperunt, a quibus ultimum ſupplicium in perpetuam ſervitutem commutatum fuiſſe audiebant. Praeterea calamitatibus & aerumnis

(a) Lib. I. c. XIII. §. XVII.

(b) Vide Comitis Montanari Diſſertationem: *La pena di morte neceſſaria nella Criminal Legislazione*.

iugiter preſſa multitudo certae illius diuturnaeque poenae vim non percipit, nec libertatem, ut pauci ii qui elato ſunt animo, aeque in deliciis habent: quo ſit ut illius iacturam cum voluptatibus delicti comparantes, minime ſe ab iniuſta facinoroſaque vita contineant. Si qui ergo ſunt quos horror iacturae illius a criminibus retrahat; ſi qui ſunt qui mortem contemnant, ut tandem acerbiſſimae vitae finem aſſequantur; pauciſſimi ii quidem ſunt, nec adducuntur in exemplum congruenter rationi. Certe aliqui adeo ſe eſſe delectantur, ut multo plus iis horrifica ſit mortis, quam miſerae cuiuſvis vitae idea; eique maximam & ſempiternam gratiam haberent, qui ſe ultimo ſupplicio dignos ea poena multaret, in qua omne eſſe poteſt praeſidium ſocietatis auctore Beccaria. Accedit nullam eſſe in malo conſolationem quae acceptior ſit, quam ſi ſpes oſtendatur aliqua mali evadendi. At quamvis certum fixumque ſupplicium decernatur; niti ſemper ſpe aliqua impius poterit futurum fore ut a ſupplicio liberet ipſe ſe, aut fuga, aut alia ratione: *Spes enim eſt inter vivos, extra ſpem vero ſunt defuncti*, ut Theocritus

aiebat (*a*). Quare quum poſſint impii in ſpe aliqua eſſe (inani etiam conieſtura nihil refert, modo in ſpe ſint) qua ſibi polliceantur ſe tandem a ſupplicio evaſuros; nemo non videt ſolam mortis poenam aliquando arcere homines poſſe, ne iniuſti ſint, aliiſque hominibus afferant calamitatem. Itaque neceſſaria civis alicuius nex interdum eſſe poteſt Civitati. Haec ſunt quae in utramque partem diſputantur. Alii forte ſuſtinebunt aſſenſionem, ne praecipitet ſi temere proceſſerit. Forte alii improbabunt iſta, nec a Beccariae placitis diſcedent.

§. CLXVII.

Satis eſt diſputatum de legibus criminalibus. Nunc iacienda eſſent fundamenta legum aliarum quas civiles dicunt (*b*). Sed

---

(a) Apud Stobeum ſerm. III.

(b) Hae leges *civiles* dicuntur, ſi earum originem intuearis. Hoc nomine donari ſimiliter ſolent *criminales* de quibus diſputavi, dum ratio habetur auctoritatis qua pollent: quae eſt communis & forte non inelegans diſtinctio. Leges quas civiles voco, quaeque circa officia ferme verſantur *ſecundariae neceſſitatis*, quamquam vel naturales ſint, vel ex naturalibus exiſtant non omnes aeque omnibus civitatibus conveniunt. Nam pro diverſo nationum ingenio, pro diverſa etiam forma ſocietatis, pro diverſitate locorum quos populi incolunt; aliae omitti, aliae temperari debent, ut fuit a doctiſſimis viris animadverſum.

ego patiar, ut alius plene illuſtret hunc lo-cum dignum quidem ſummis ingeniis, acerrimis ſtudiis, optima doctrina, maximo uſu ut plene ſit cumulateque perfectus: at non omnem proprium Philoſophiae. In hoc potius cogitationem & curam ponendam eſſe animadverto, ut leges omnes non multae ſint, quum earum multitudo corruptelam oſtendat civitatis; quod Platoni & Tacito placuit, nec fugere eum poteſt qui finem rationemque legum meditetur. Hoc etiam curandum eſſet ut hae patrio ſermone conſcriberentur. Communis norma ſocialium actionum cur peregrinis & ignotis literis edicitur?

CAPUT III.

DE PRINCIPIS OFFICIIS.

§. CLXVIII.

In eo ſita eſt politici foederis natura ut alii quidem imperent, alii obediant. Sua itaque eſſe debent munera iis qui regunt, & ſua iis ſimiliter qui reguntur. En quod mihi explicandum occurrit duplex caput officiorum. Equidem non ſine metu ad ſcribendum acce-

do. Nam ſi omnibus in rebus error turpis aut noxius eſt; in hoc loco maxime. Faciendum tamen ut abſolvam inſtituta; capiendumque ab iis officiis exordium, quae Principem (*a*) attingunt.

§. CLXIX.

Principio dare operam Princeps debet ut iis ſcientiis exornetur, quae ad periculoſam ac omnium difficillimam imperandi artem faciunt. Vulgatum eſt illud Platonis: *Felices*

(a) Si unus ſummam rerum teneat & ſubditas gentes abſoluto imperio gubernet *Rex* dicitur: forma autem civitatis, cui praeeſt Μοναρχία, quae ceteris vetuſtior eſſe debet. Huc pertinent quae ſcribit Ariſtoteles lib. I. *Politicorum* c. I. *Initio a Regibus gubernabantur civitates, & nunc etiam gentes*. Huc ſpectant quae docet M. Cicero lib. III. *De Legibus*. *Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt*. Si vero alicui tantum civium ordini qui cenſu, genere, prudentia, & virtute aliis praeſtant delata ſuprema poteſtas ſit, atque ii coniunctim procurationem habeant ſocietatis; haec regiminis ſpecies ἀριστοκρατία vocatur. Denique ſi omne id quod decernendum eſt ad tranquillitatem incolumitatemque ſocietatis ſuffragiis omnium conſtituitur, ſummumque imperium penes populum reſideat, Δημοκρατία eſt. Ariſtoteles lib. IV. & V. *Polit.* formas quatuor putat eſſe civitatum. Sed non opus eſt dare diſtinctionibus locum: quis enim ignorat ex varia copulatione *ſimplicium* formarum varias etiam *compoſitas* ac *mixtas* civitatis formas exiſtere? Iam vero ſive unus, ſive plures in imperium adſciti ſumantur, idem omnium nomen *Princeps*. Quod non erat a me omittendum qui de Principis officiis quaero.

reſpublicas eſſe, in quibus aut Philoſophi regnant, aut reges philoſophantur. Certe ſi languidus atque iners Princeps ſit, non operoſus & quotidie addiſcens aliquid quod ad munus ſuum referatur; ſubditarum gentium bonum deſiderare poterit, facere non ſemper poterit (*a*). Nam pendet maxime a perfecta & expolita ratione ut aptior ille ſit ad iudicandum congruenter veritati; ad intelligendum quid ſit aequum & bonum; ad parandam populis felicitatem. Quid iucundius amico hominum literatorum Principum nominibus, quos accepimus ex hiſtoria non ſine ingenti laude ſubditis gentibus praefuiſſe? Contra moleſtiſſima eorum memoria eſt qui quum

---

(a) Privata & ſceleſta utilitas haec olim effecit in Europa hac noſtra, ut Principes quidam omni educatione carerent, qua caeteroquin nititur ſalus civitatum. Iis ineſſe videbant populi imbecillitatem maximam conſilii, & indolem plane inhabilem ad negotia gerenda adminiſtrandamque ſocietatem. Venatum, theatra, ſpectacula, choreas, ſaltationes, & quidquid uſquam eſt inanitatis aut ſuperſtitionis eos adamaſſe videbant, & nihil praeterea. Hinc illa humanorum iurium everſio; hinc illa omnium pernicies. His longe peiora olim America intuebatur, cuius nonnulli Principes medicatis potionibus obſtupefacti, nec populis praeeſſe poterant cum dignitate, nec muneribus fungi, quae ſolius hominis ſunt. O ſcelus!

indocti & rudes & imperiti eſſent rerum agendarum; ex eorum ignoratione & ſtupiditate innumera incommoda in ſingulos homines, in familias, in civitatem ipſam permanaverunt.

§. CLXX.

Hoc itaque prae reliquis curet Princeps ut perlegat attente & ſaepe & cum delectu hiſtorias. Hae in apertam lucem proferunt varios populorum mores, quos noſſe utilitatis eſt maximae tum propriae cum alienae. Hae ſummorum Principum virtutes narrant ut animi magnitudinem, ut beneficentiam, ut amorem in populos, ut iuſtitiam, quas oportet omnino aemulari. Hae produnt vitia, ut perfidiam, ut crudelitatem, ut iniuſtitiam, ut tyrannidem, quas cavere neceſſe eſt. Vix dici poteſt quanta inſit vis in exemplis, quae ab hiſtoria proponuntur ad imitationem virtutis, & ad execrationem & fugam vitiorum. Nam proprius cuiuſque amor gloriae igne veluti flagrat, & incenditur cupiditate aſſequendarum voluptatum, quibus potiti ſunt, qui in celebri fama verſabantur: quumque declinet abhorreatque dolorem, impellitur ſimiliter ad horrorem infamiae & turpi-

tudinis & dedecoris, & eius cuiuſcumque quod exiſtimationi ac dignitati detrahit; ex quibus maxime extitiſſe cognoſcit miſeriam hominum improborum.

§. CLXXI.

Quamvis veriſſima diſciplina exercitatioque ad res civiles hiſtoria ſit, ut Polybius aiebat (*a*): non ſunt tamen omittendae politicae & morales ſcientiae, quae valent plurimum ad cognoſcendos homines erudiendumque Principem quid ſibi, quid civibus conveniat. Optimi conſiliarii munere optimi librî funguntur. Librorum autem praeceptis ſapientum adiungenda familiaritas eſt, cuius praeſidio magis magiſque illuſtrantur quae hauriuntur ex libris: *Domeſticorum prudentiſſimis familiariter utere*, dicebat Nicocli Iſocrates, *tum exterorum quoſcumque poteris arceſſito: tum celebrium & poetarum & ſophiſtarum omnium periculum tibi eſſe faciendum perſuaſum habeto: ac illorum quidem auditor eſto; horum autem diſcipulus. Itaque te para, ut & minorum ſis iudex, & maiorum aemulator. Nam his exercitationibus talis fies, qua-*

(a) Lib. I.

lem eſſe oportere nos conſtituimus eum qui recte ſit regno praeſuturus, & urbem ita ut decet gubernaturus. Ego delector ſummopere quum verſor in hiſtoriis & lego Principes quoſdam perhumaniter complexos fuiſſe doctos homines, & ſingulari beneficentia tractaſſe. Suum habuit Anacharſim Lydorum Rex Croeſus, Stilponem Megarenſem Ptolemaeus Soter, Menedemum Eretrienſem, & Bionem Boriſthenem Antigonus, Attalus Lyconem Troadenſem; alii alios. Ut autem a remotiori antiquitate diſcedamus Laurentius Mediceus, Leo X., Ludovicus XIV. Galliarum rex literatos omnes habuerunt cariſſimos, qui ingenio ſcientiaque excellere putabantur. Hinc illa felicitas rerum publicarum.

§. CLXXII.

Doctos homines arceſſere & adhibere parum eſt, niſi callidi aſtutique aſſentatores arceantur, quibus ſemper ipſa ſui aſſentatrix aula abundavit. Sed malitioſa eorum ars ita occulte ſe inſinuat, ut ab ea caveri vix poſſit. *Adulator voluptatibus delinit in iiſque adminiſtrandis eſt .... Miniſteriis ſeſe ultro offert, conaturque ſummo ſtudio officioſus im-*

piger promtuſque videri . . . Se ipſum veluti materiam quamdam componit atque conformat, accommodare ſe atque affingere ſtudens imitatione iis, quos adoritur mollis & facilis ad repraeſentandos ſimilitudine eos . . . . vituperat eas res mores atque homines, quibus alterum offendi intelligit, & quae placere ei ſentit non mediocribus ſed nimiis fert laudibus, ita ut cum ſtupore quodam ſe ea admirari ſimulet, confirmetque ſe iudicio magis quam animi ſubito motu alia amare, alia improbare (*a*). Paucis ad alterius non modo ſenſum & voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur. Negat quis? negat. Affirmat? ait (*b*). Taceo innumeras artes levium hominum atque fallacium ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Sunt autem huiuſmodi, ut quamvis ſecerni eas & internoſci accidat; ita permulceant tamen & allectent & invitent, ut earum praeſtigiis capiamur, & peſte qua nulla eſt maior, non ſine turpitudine delectemur. Enim vero qui ſic adulatur vel timere alium, vel magni fa-

(a) Plutarchi Commentarius: *Quomodo poſſit adulator ab amico internoſci*.

(b) Cicero in *Laelio*.

cere, vel eo indigere patefacit: hinc facile imponit, aut etiam placet, tametſi cognoſcatur. Porro ad Principes in primis ſe adiungunt adulatores, quorum niſi vitent inſidias, quid literae, quid libri, quid docti homines proficient? Heu! *Eo iam dementiae venimus, ut qui parce adulatur par maligno ſit* (*a*).

§. CLXXIII.

Verum non ſatis eſt Principis rationem perfici & illuſtrari, aut ornamento diſciplinarum, earum maxime, quae ad reipublicae adminiſtrationem parandamque tum ſibi cum aliis felicitatem conferunt; aut lectione librorum & conſuetudine ſapientum, ex quibus honeſta conſilia & ſalutaria praecepta ediſcuntur. Non ſatis eſt ſi Princeps vigilantius enitatur ut aſſentatoribus tamquam adminiſtris ad malefacta linguam occludat, eoſque plane declinet & abhorreat: oportet ſimiliter, ut animum exornet virtutibus, in iiſque ſe exerceat ex quibus probitas & praeſtantia cordis exſiſtunt. Quid enim acre expolitumque ingenium prodeſt inquinato corde, niſi ut ei qui poſſidet, & ceteris noceat?

(a) Seneca *Nat. QQ*. lib. IV.

De virtutibus autem, quae ſunt maxime Principis propriae, quaſque ſi forte negligat, is plane ab officio diſcedit, volumina ſcripta ſunt a doctiſſimis viris. Ego duas tantum nomino benevolentiam in populos, cultum item & religionem in Deum: nec enim illud mihi conſilium, ut eos omnino hic formem qui imperant, ad regendum; nec praeterea deerit poſtremis capitibus uberior de eodem loco diſputatio.

§. CLXXIV.

Princeps itaque cariſſimos populos habeat, & eos aeque ac ſe ipſum amet. Amoris huius efficacitas prima erit, ut non ſibi ſe natum is putet, ſed patriae, ſed civibus, iccircoque non ſui ipſius, ſed eorum qui ſub ipſo ſunt, commoditatem reſpiciat (*a*). Vexat noctuque & diu optimum Principem communis boni cogitatio, ſtimulos admovet, ignes adhibet, reſpirare eum non ſinit. At ſublata in ſubditas gentes caritate, publici illius boni deſiderium friget, languent paullatim omnia, & certa eſt tandem pernicies ſocietatis. Forte ſi Prin-

(a) *An ignoras, o fili*, aiebat olim filio ſuo Antigonus Macedonum rex, *regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem?* O dignam optimo Principe ſententiam!

ceps ab omni eo tangatur, quod habet inſigne quiddam ad decus & gloriam, coruſcabit ad tempus ſocietas, & ſuprema lex ſalus populi aliquando eſſe videbitur: ſed vera gloria, quae virtuti reſonat tamquam imago, ut inquit Cicero, ſi ab amore in populos diſiungatur, temeraria atque inconſiderata eſt, ad res iniuſtas impellens, inanitatum altrix, omniumque procreatrix vitiorum, ex quo tandem omnium detrimentum everſionemque civitatis exiſtere debere, nemo eſt qui dubitet.

§. CLXXV.

Altera amoris huius efficacitas eſt, ut amantiſſimum parentem eſſe ſe Princeps exiſtimet eorum quos regit, ſicuti Confucius monet (*a*). Hinc omnes, ut boni parentis mu-

---

(a) *Scient. Sin.* lib. II. pag. 63. Talem fuiſſe Cyrum teſtatur Xenophon *De Paedia Cyri* lib. VIII.: *Ego, o viri*, ait Chryſantas, *ſaepe numero etiam alias cogitavi bonum Principem nihil diferre a bono patre. Nam & parentes filiis provident, ut bona his numquam ſint defutura. Et Cyrus videtur mihi nunc ea nobis conſulere, a quibus maxime in felicitate poſſimus ad ultimum uſque finem perſeverare.* Egregie etiam ſcripſit Seneca lib. I. *De Clem.* cap. XIV.: *Cetera cognomina honori data ſunt. Magnos & felices & auguſtos diximus & ambitioſae maieſtati quidquid potuimus titulorum congeſſimus. Patrem quidem patriae appellavimus, ut ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quae eſt temperantiſſima liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens.*

nus poſtulat, eadem caritate ſibi coniunget, eademque amoris ſignificatione abſque ullo partium ſtudio proſequetur. Hinc patebunt ad eum quotidiani aditus privatorum, eoſque libere loqui patietur. Hinc videbit ne deſint populis quae ſunt ad vitam cultumque corporis neceſſaria. Hinc omnes in legum fidem aeque recipiet, nec magni ducet, quae circum ſubditas gentes ſunt, ſed quae ſunt intus. Non madentes cincinnorum fimbrias reſpiciet, non comtam & longam adſcititiam comam, non togam praetextam, non pretioſas veſtes, non famulorum turbam, non fulgentes rhedas, non fumoſas maiorum imagines, non reboantia dignitatum nomina, non patrocinium alicuius qui in magna ſit gratia; ſed ſubditum hominem, ſed filium, qui ingenio, qui probitate, qui iuſtitia, qui virtute excellat. Paucis ſi ſtabili & vera populorum caritate Princeps teneatur ſui eum muneris admonere neceſſe non erit. Magna vis eſt in benevolentia: eam excitet Princeps ſi forte dormiat; nec aliquid omittet eorum quae populos meliores ac beatos faciunt. Iam ei aderunt virtutes ceterae. Aderit fides qua omnino id faciet quod

promiſit (*a*). Aderit prudentia quae tamquam oculus quidam mentis undequaque lucidiſſimus quid promittendum ſit, quid praeſtandum oſtendet. Aderit clementia, qua ad ſupplicia ſeverioremque animadverſionem non veniet, niſi quum mitiora remedia fruſtra conſumſerit. Aderunt largitas, magnanimitas, beneficentia, & ſi quae ſunt huiuſmodi.

§. CLXXVI.

Sed in Principis animo inſita in primis caſta Religio ſit, qua ſublata & virtutes nullae eſſe poſſunt & fidem etiam ac ſocietatem humani generis tolli neceſſe eſt. Nam ut cives contineant ſe, & officium faciant, hoc iis perſuaſum eſſe debet dominum eſſe omnium rerum ac moderatorem Deum, eaque quae geruntur, eius geri vi, ditione, atque numine, eumdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quiſque ſit, quid

(a) Nihil turpius Principi quam fidem fallere ſive publice, ſive privatim datam. Carthaginienſes foedifragos Ennius appellavit a frangendis foederibus, quaſi ignominia eos notaſſet nulla umquam oblivione delenda. Periculi plena omninoque iniuſta eſt Nicolai Macchiavelli ſententia *Il Principe* cap. XVIII., qua a dictorum conventorumque conſtantia Principem liberat. Legibus enim naturae aeque Principes ac infimi & obſcuri homines tenentur.

agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate veram Religionem colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud ſane ab officiis ac virtutibus abhorrebunt. At niſi Princeps praeeat exemplo, ad quod ſemper ſubdita gens componitur, niſi Deum colat, quemadmodum debet etiam actionibus, quae foras eminent, brevi in impietatem delabentur populi; nec ullum erit facinus tam ſceleſtum, quod non tandem ſuſcipiant. Quapropter vere ſcripſit Plutarchus (*a*): *facilius urbem condi ſine ſolo poſſe . . . quam opinione de Diis penitus ſublata civitatem coire, aut conſtare*. Ex quo intelligimus cur priſci legumlatores commenti ſint a Diis, quibus venerationem & obſequia populi praebebant, ſe legatos fuiſſe ad leges ferendas, quibus etiam Religio praeſcriberetur. Sic Amaſis apud Aegyptios ab Herma, Zoroaſter apud Bactrianos, & Zamolxis apud Getas a Dea Veſta; a Daemone, ſeu a bono genio Zathrauſtes apud Arimaſpos, a Iove Cretenſi Rhadamanthus & Minos Cretenſium reges; Triptolemus

(a) *Adverſus Colotem*.

apud Athenienſes a Cerere gentilitia Dea, Pythagoras & Zaleuchus apud Crotoniatas & Locrenſes a Minerva; ab Apolline Lycurgus apud Lacedaemonios, a Deo Comſo Romulus; Numa a Nympha Aegeria leges accepiſſe gloriati ſunt, ut antiqui Scriptores teſtantur Diodorus (*a*), & Strabo (*b*).

§. CLXXVII.

Non ſum equidem neſcius memoriae proditum eſſe totius olim Religionis expertes Philoſophos quosdam qui Deum eſſe negabant, vitam vixiſſe plenam honeſtatis reliquarumque virtutum, quae emolumentum & fructum afferunt ſocietati. Sed id concedi omnino non poteſt Baelio, qui eos in exemplum adducit: & quamvis dici aliter poſſet; certum eſt tamen atque exploratum rationes, a quibus ii ad fictam illam honeſtatem virtutemque ſectandam trahebantur, huiuſmodi non eſſe ut fraenos valeant iniicere univerſo hominum generi, quorum plerique puſilli minuti imbecilles ignari perditi ac diſſoluti ſunt, nec ad ſalebroſam virtutis iuſtitiaeque viam tenendam idonei. Num continebunt ſe-

(a) Lib. I. & V.

(b) Lib. X.

met ob ſolicitudines quibus impiorum hominum animi dies atque noctes exeduntur? Quid ſi de malefactis non admoneantur amplius, laetenturque potius & exultent quum male fecerint? Num eos a criminibus avocabit honeſtatis conſideratio? At quamnam actu ſortietur vim honeſtas ut hominum multitudinem ad officium faciendum impellat? *Quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem & iudicem? Quid in deſerto loco nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum atque ſolum? .... Videtis, credo, quid ſit acturus* (*a*). Itaque neceſſaria Religio eſt ſine qua non Princeps officium ſuum, non ſubdita gens faciet.

§. CLXXVIII.

Quae de Religione ſtrictim ac breviter explicavi, non eſt dubium quin firmitatem obtineant ſuam, ſi de ea ſermo ſit quae ſola vera eſt, quaeque addiſci non poteſt in ſcholis Philoſophorum, ſed Chriſti tantum, qui ſacrae huius Religionis auctor optimus maximus eſt & vindex (*b*). Hanc Princeps colat

(a) *De Legibus* lib. I.

(b) Vide: *Direction pour la conſcience d'un Roi* par Meſſire François de Salignac de la Motte Fénélon.

ac tueatur, quae vinculum ac firmamentum eſt cuiuſvis ſocietatis. At caveat ne nimio eius amore incenſus, dum rebus iis quae ad Dei famulatum pertinent, addicit ſe, interea negligat atque perrumpat officia ab eoque diſcedat, quod arduum munus regendi populos poſtulat: in quo multi falluntur, & multos olim deceptos fuiſſe Principum hiſtoriae teſtantur (*a*). Scite Nicephorus Gregoras: *Qui in una Dei contemplatione mentem defixam habet, ei montes & ſpeluncas habitare convenit. At qui una cum virtute etiam mores civiles exercuit & iunxit, quique notitiam paravit rerum variarum, ille vero populum regere & ducere ad optima optimus eſt* (*b*).

(a) In hoc peccaſſe Alexandrum Magnum auctor mihi eſt Plutarchus *in Alexandro*, dum ſcribit *ſacrificantium, luſtrantium, divinantium plenam Alexandri regiam in extrema eius vita fuiſſe*. Cur non magiſtratus, cur non ſapientum, aut conſiliariorum, quorum opera gubernandi onus ſuſtineret?

(b) Lib. III.

CAPUT IV.

DE POPULORUM OFFICIIS.

§. CLXXIX.

Adventitia ſocietas ad vitae commoditatem inſtituta eſt, ut pluries dixi, & ad tutiorem beatioremque degendi rationem. Haec quum cogito, quin ſubtili quadam diſputatione mihi utendum putem, facile dignoſcere me arbitror officia populorum. Videre enim licet alia deberi iis qui praeſunt, alia civitati univerſim. His tertium genus officiorum adiungi poteſt, quibus fungi cives oportet ne dirimant communem humani generis ſocietatem. Id ſolum quaero hoc ſermone, & faciam breviter, quid officii tribuere moderatoribus rei publicae ſubditae gentes debeant: cetera enim complecti vetant, aut ea quae docui libro primo, aut quae poſterius explicanda remanent.

§. CLXXX.

Maxime eſt ſecundum naturam ſocietatis, ut gentes pareant Principis legibus ac voluntati: ſecus nec tranquillitas incolumitaſ-

que rei publicae, nec obtineri poteſt ſalus etiam ſingulorum, ut patet (*a*). Praeterquamquod ſecum ipſi pugnarent populi ſi vellent extricare ſeſe a vinculis legum & praeceptorum: quod origo & fundamenta legum ipſarum ſatis ſuperque demonſtrant. At enim ſi Princeps iniquus ac flagitioſus ſit; ſi is iubeat quae ſunt turpia: num eius mandata exſequi oportet? Faciendum omnino eſt quod iubet qui praeeſt civitati, tametſi improbus is ſit, modo praecipiat honeſta: nec enim iure imperandi caret propter improbitatem. Accedit quod populus iniquum ſaepe ac improbum eſſe Principem iudicat, ſi is ſtudens providere communitati, inordinata privatorum deſideria moderetur, legum cuſtodiam repetat, & ab iis qui ſub-

(a) *Cogitate quaenam urbs hoſtium ab iis capi poſſit qui nolint imperio parere? Quae amicorum urbs conſervari poſſit, qui nolint imperio parere? Qui militum contumacium exercitus victoria potiri poſſit? quonam modo facilius poſſint in praeliis homines vinci, quam ubi coeperint ſeorſum ſinguli ſalutis propriae conſilia capere: quid aliud rei praeclarae perſici poſſit ab iis, qui potioribus haud parent? Quae urbes legitime adminiſtrentur, quae domus ſervari queant, quo pacto naves eo perveniant quo tendunt? Nos ipſa ea commoda, quae modo nobis adſunt, quanam alia ratione magis comparavimus, quam principi parendo?* Chryſant. apud Xenoph. *Cyrop.* lib. VIII.

ſunt id omne poſtulet, quod ad publicam felicitatem facit; tametſi durum & difficile cuiquam videatur. Quae quum ita ſint nutant veluti iuſtorum etiam Principum imperium & vita, nervuſque omnis diſciplinae remittitur, ſi quid roboris contrariae opinioni concedatur. Sed finge parumper veram eſſe, eamque paullo latius diffundi: adhuc tamen perſuadenda populo patientia eſſet, inſiſtendumque, ut malorum quae pati poteſt, vindicem expectet regentem omnia ac tuentem Deum; ſecus in maiora exinde mala delaberetur: quod regnorum hiſtoriae confirmant. Si vero turpe ſit quod Princeps iubet; tunc minime parendum eſt, quum omnis iniuſta aut turpis actio averſa a ratione non liceat natura. Haec autem turpitudo manifeſta ſit oportet: nec enim ſi quaedam incidant dubitandi cauſſae, clara idcirco & evidens parendi obligatio labefactatur; quum ſit omnino conſentaneum acquieſcere voluntati eius, qui ſapiens & prudens & pius haberi debet: in quo Theologi ipſi conſentiunt.

§. CLXXXI.

Eſt etiam populorum Principes colere ac venerari; quippe qui Dei perſonam gerunt in terris. Nec fictus & ſimulatus ſit cultus qui eis tribuitur; ſed verus atque intimus cum obſervantia benevolentiaque coniunctus. Hinc qui Principis famae detrahit; qui dente atro iuſſiones eius petit; qui dicta aut facta omittit quum res & tempus poſtulat, quae Principi tamquam praecellenti conſervatori rectorique civitatis debentur: is in obſervantiam peccat. Similiter qui Principi bonum non vult & optat, nec quae grata ſunt ei conatur adimplere; qui eum optimi parentis loco non habet, aut beneficiorum, quae ab eo accepit quaeque in omnes confert, obliviſcitur; qui vitam ipſam ſi opus ſit in diſcrimen adducere pro ſalute & incolumitate Principis detrectat: is a benevolentia adverſus ipſum longiſſime diſcedit. Horum autem officiorum utilitas in omnem civitatem permanat. Fieri enim vix poteſt, ut in alios cives iniuſtus & improbus ſit qui obediens obſervans benevolus alienae ſe ſubiicit poteſtati.

§. CLXXXII.

Aliud populorum munus eſt, ut ſolvant Principibus tributa. Securitas felicitaſque civitatis exigit, ut ſint qui eam regant, qui graviter legum cuſtodiam advertant, qui cives a perditis, & ſceleratis hominibus, aut ab extraneis hoſtibus tueantur. At iſti artem aliquam utiliter profiteri non poſſunt, qua ſe & familiam ſuſtentent. Aequum itaque iuſtumque eſt, ut cives quantum publica utilitas flagitat partem aliquam bonorum ſuorum ad eorum conſervationem vitaeque commoditates impendant. Hinc manat tributi ſolvendi obligatio, e qua non ſine iniuria ſubducere ſe populi omni calliditate conantur.

§. CLXXXIII.

Ex peculiari quopiam munere, quo fungi aliquis poteſt in civitate peculiaria etiam officia quaedam exiſtunt, quae diſtincte enumerare ſupervacaneum eſt; quum omnia tandem huc redeant: *ne quis ullum in Republica munus affectet, aut negotium aliquod ſuſcipiat, ad quod ſe parum idoneum deprehendit; item ut quiſque munere ſuo ſumma fide & induſtria fungatur, idque non ex metu poenae, aut*

commodi cuiuſdam intuitu, ſed ex conſcientiae ductu, ut ſupremo numini ſuarum rerum actionumque aliquando reddere rationem queat (*a*).

CAPUT V.

DE IUSTITIA MAXIME NECESSARIA CIVITATI.

§. CLXXXIV.

Fundamentum humanae ſocietatis Iuſtitia eſt, ſine qua non modo civitas beata eſſe non poteſt, ſed nec conſiſtere ullo modo poteſt. Huius autem tria ſaltim ſunt munera in civitate, quorum primum ad communem civium aequalitatem, alterum ad civilem omnium libertatem, tertium ad res externas refertur. De ſingulis dicam, ut potero. Tueri oportet quoad fieri poteſt iurium aequalitatem a natura ipſa conſtitutam, ita ut nemo plus iuris ſibi ſumat arrogetque in alios, quam ei natura & leges tribuant, quae numquam a natura ipſa diſcedunt, ſi iuſtae ſunt. Hinc cavendum ſummopere eſt, ne rerum opulentia, aut genus, aut dignitas, aut po-

(*a*) Bud. *Theol. Mor.* p. II. c. III. ſect. VII. §. XXXVII.

tentiorum gratia dent ullam poteſtatem in alios quae a legibus non comprobetur. Id Periander docuit, quum eminentiores ſpicas metendo ſegetem adaequavit, & Thraſybulo per internuncium conſulenti hoc exemplo reſpondit. Illud etiam curandum a moderatore ſocietatis, ut hanc aequalitatem praeſcriptionibus ſuis agnoſcat & conſervet diligentiſſime. Quod haud ſcio an ſemper verum ſit, ſi coniiciantur philoſophiae oculi in Iuſtinianeas leges, quibus plerique Europae noſtrae populi utuntur. Digrediamur parumper.

§. CLXXXV.

Sunt qui leges maritales vituperant, in quibus aliquanto maiorem iurium aequalitatem deſiderant, quantum indita feminis imbecillitas, & quaſi perpetua plerarumque pueritia patitur. Suſpicantur enim plurimas leges huius generis forte originem duxiſſe a praeiudicatis barbarorum hominum opinionibus ſaevoque & immani imperio quo olim vir uxori dominabatur: hinc imbecilliorem eas premere dicunt, quia inventae ſunt ut fortioribus faverent. Contra leges eſſe alias volunt, quae ex ſola unius mulieris libidine

ac voluntate extiterunt: *Haec omnia*, inquit Iuſtinianus ipſe (*a*), *apud nos cogitantes*, *&* *participem conſilii ſumentes eam*, *quae a Deo nobis data eſt reverendiſſimam coniugem*.

§. CLXXXVI.

Habent etiam quod iuribus dotalibus opponant. Indotatae mulieres apud nos illocabiles plerumque ſunt: quod officit propagationi generis humani. Nec deſunt qui animum a connubiis revocant ob multa, quae circumveniunt habentes uxorem, incommoda & taedia, quorum pleraque ex diſſimili mulieris virique conditione promanant; quum infrequens non ſit, ut inopi iuveni ditiſſima anus uxor committatur; aut locuples vulgaris homo illuſtrem feminam, cui res familiaris perexigua eſt, in matrimonium ducat. Haec vero ſublata eſſent omnia ſemotis dotibus. Dotes praeterea efficiunt, ſi pingues ſint, ut arrogantes & elatae ſint feminae: ex quo immodici ſumtus, ex quo iurgia contumeliae maledicta, & alia huiuſmodi, a quibus valde infelicitatur conditio connubiorum. Quare ſi ſolum liberorum quaerendorum cauſ-

(a) *Novella* VIII.

ſa uxor duceretur, facilius aequali iure nubendi uterentur omnes, rationemque praeſertim haberent virtutum quibus feminae ornantur. Quod plurimum incrementi afferret publicae utilitati (*a*). Haec optarem in nova rei publicae inſtitutione. Sed cur a receptis moribus non ſine facili periculo recedendum?

§. CLXXXVII.

Nec omittunt leges, quae ad haereditates pertinent. Principio neſciunt, an teſtamentariae leges aequalitati iurium faveant, aut eam potius evertant. Quod confirmant conſuetudine alicubi recepta, ut optima ſit conditio Primogeniti nobilium familiarum,

---

(a) Haec differentes concludunt oportere, ut dux ſocietatis nimio luxui qui a nuptiis diſiungi non ſolet, rationibus ſumtuariis proſpiciat: cui quidem vix daretur locus ſublatis dotibus; quum raro indotata mulier inanitates cupiat & perſequatur. Ex quo illud effici putant nullum rei familiaris detrimentum viros pati, qui tot dotibus ſimiliter parcerent quot eis eſſent ſorores ac filiae. Incommoda etiam effugiuntur dotium, quae interdum reſtitui debent; effugiuntur acerrimae & ſempiternae lites e dotibus natae, quae familias, quae forum, quae iudices, quae totam ſocietatem vexant. Rem iſtam erudite ſcribit Philippus Villani in Opere, cui titulum fecit: *L'Ozio Autunnale*.

ceterorum fratrum peſſima (*a*); id autem naturales aequalitatis leges non ſine igno-

---

(a) Adverſari incolarum frequentiae ius natu maiorum videtur. O veritas! nuſquam obvolvam te ſervilium reſpectuum involucris, nec poſtulari uſquam proditionis potero, niſi quum ero ignarus tui. Sunt e natu maioribus qui in matrimonium non eunt; ſunt etiam qui nubunt, quin liberos ex uxore procreent. Interea horum plerique minime cedunt ius grandioris aetatis: quo fit ut reliqui fratres ob anguſtiam patrimonii caelibem vitam ſaepe iis moleſtam vivere debeant, totamque aetatem ſine nuptiis tranſgrediantur: quod turpe eſſe Lycurgus docuit; quod notarunt infamia Romani (nondum profanis hominibus perſpecta Evangelii conſilia); quod adimit cives ſocietati; quod denique perpetuitatem tollit familiarum, quarum quidem ſplendorem & decus ut tuerentur pleni gloriarum homines, paria ſecundum naturam in primo ac in aliis filiis iura, inaequalia fecerunt. Si dicis unius imperium ſive Μοναρχίαν haec iura probare, quod ea neceſſario poſtulet divitias claritatemque familiarum ut gradatim a plebe ad Principem uſque perveniatur; reſpondebit forte aliquis eamdem eſſe omnis imperii naturam, iiſdemque illud principiis quaſi vectibus movendum. Sed ne eum ſubarroganter dicere opponas: ſint vera quae rem non iure, ſed factis dimetiens attuliſti. Attamen ſi certum eſt aequalitati iurium, & frequentiae incolarum, & civitatis bono adverſari, naturaeque legibus vulnus infligere privilegia maioris aetatis; tollenda haec mala ſunt ab eo qui procurationem habet ſocietatis. Id forte praeſtabit ſi ceterorum nobilium ſuſtentationi provideat, aut iis honorarium ſtipendium de publico ſtatuens, aut clarum & illuſtre faciens quoddam commercii vel artium genus, quibus dare operam cum laude poſſint. Sic magna ex parte ſublata erunt incommoda, quae civitatibus obveniunt a receptis iuribus natu maiorum.

minia frangit ac dirimit. Hinc nemini concedendam eſſe aiunt teſtamenti factionem, licet invectam ſpecie utilitatis. Ridiculum praeterea eſt ut quis res externas alicui addicat, in quas nihil habet amplius imperii & auctoritatis, iuſque ſibi ſumat iubendi, poſtquam exceſſit e vita; nam donec vivit, nulla eſt vis actui quem dicunt ultimae voluntatis. Quis porro non expers doctrinae Leibnitium audiat tanti ingenii hominem, qui facultatem teſtamenti faciendi ex animorum immortalitate elicit, ob quam mortuus iugiter vivit, iugiterque dominus eſt rerum ſuarum? Accedit originem concitatiſſimis & numquam deſituris litibus teſtamenta praebere. Re ipſa homines dum inter ſe colloquuntur, vix ideas liquido exprimunt ſuas: nam adducuntur ſaepe in dubitationes varias, tametſi ſatagant ne obſcuritas aliqua mutuis ſermonibus offundatur. At ſi contingunt iſta quum interrogare & interrogationibus reſpondere ipſi poſſunt; quanto evenient magis, ſi dubitatio e ſcripto quopiam demortui maneat? Commendant utique Romanae leges, quum ſermo eſt de teſtamentariis quaeſtionibus, ut demortuus interroge-

tur, nempe ut eius mens probabiliter exponatur. Sed eum cernimus reſpondere prout affecti ſunt & ſentiunt qui interrogant. Hinc foecunda illa ſeges ac materia litium. Lites autem pernicies & peſtis ſunt rei publicae (*a*). In his quae hactenus tetigi aliorum ſententias referens, eam operam curamque conſumſi quae decet Philoſophum. Cetera quae pertinere huc poterant, a Iurisperitis explicanda ſunt, quorum fugit contentioſas diſputationes Philoſophia. Verumtamen conſuetudinis magna vis eſt; nec forte cupiendum, ut legum lator aliquis operi admovere manum velit, coneturque diſcedere ab inſtituto, quod comprobatum eſt

(a) Non abnuunt teſtamenti factionem ſaepe filiis timorem facere eoſque impellere ut parentes colant, ne exhaeredes fiant. Attamen ſi rector populorum cauſſas lata lege complectatur, ob quas filii merentur ut exhaeredes ſint, aut careant parte aliqua haereditatis; facile intellectu eſt ſupervacaneam eſſe teſtamenti facultatem, ut filii parentibus obſequium & cultum praebeant. Sententiam hanc multa oratione defendit clariſſimus amicus meus Comes Vaſco in Opuſculo *Delle Leggi Civili Reali* cap. III. Porro ademta teſtamenti condendi facultate legitimos ſucceſſionis gradus paucis iiſque perſpicuis legibus praefiniendos eſſe animadvertunt.

aetatis ſpatio, & communibus ſuffragiis populorum (*a*).

§. CLXXXVIII.

Violat etiam communem civium aequalitatem inaequalis nimium diſtributio facultatum. Divitiis & opibus in paucorum manus congeſtis nova bonorum diviſio mederetur (*b*). At ſi quidem haec fieret, iacerent omnia, artes, ſcientiae, laboris amor, induſtria, & quidquid eſt quod parat felicitatem ſocietatis. Viguit olim apud Lacedaemones aequalis haec partitio bonorum: ſed inde factum eſt, ut quum in pace erant, plena eſſet ocioſorum hominum civitas; & praeterea duriſſimis malis eorum mancipia conflictarentur ob immanitatem & pauperiem dominorum, quin ullam concipere ſpem poſſent ad meliorem fortunam tranſeundi aut ingenii, aut diligentiae, aut ſortis praeſidio, ut animadvertit auctor Principiorum cuiuſque publicae adminiſtrationis (*c*). At quam-

(a) Videatur elegans itala Diſſertatio, quam typis edidit in Parmenſi Athenaeo hoc noſtro clariſſimus Patrii Iuris Profeſſor Praepoſitus Bertoncelli.

(b) Qua etiam poſita, tandem inaequalitas ipſa neceſſario ſequi deberet: non enim aequalis omnium in facultatibus ſervandis & amplificandis induſtria.

(c) Tom. II. cap. VIII. art. VII.

vis tolli non debeat, aut poſſit inaequalitas iſta bonorum: num coacervare divitias & turbulentiſſimam inaequalitatem honeſtare fas erit? Quis non omnino expers doctrinae ignorat denſatas veluti concluſaſque in paucas familias divitias & opes maximum momentum habere non ad mollitiem ſolum, ad immodicum luxum, ad turpe ocium, ad arrogantiam, ad inſolentiam, ad ſuperbiam; & quod caput eſt malorum, ad dominationem perniciemque omnem civitatis, ut ipſa Romanae rei publicae Hiſtoria confirmat (*a*)? Caveat igitur populorum dux ne in duas veluti claſſes infelix civitas dividatur, quarum una ſuperfluis abundet, altera careat neceſſariis vitae. Multo caveat magis, ne publicis divitiis, quae ad pauperes maxime ſubditarum gentium familias pertinere debent, eos nimium locupletet, qui ſibi acce-

(a) Neſcio an iuſtitiae repugnet inaequalitas altera, quae dignitatum & graduum dicitur. Mos erat apud Perſas ut illuſtris tantum proſapiae ratio haberetur, quum de eligendo duce reipublicae agebatur, licet hunc ad obſcura quaeque & minuta civilis ſocietatis munera ineptum cernerent. Contra ſolis virtutibus honores dignitateſque Graeci decernebant. Hi Perſis iuſtiores, ni fallor. Fortiores certe: nam Perſas tractu temporis expugnaverunt.

pti ſunt: quo nihil videbis eſſe facilius ſi hiſtoriam conſulas, ſi humanum cor. Vix negare quidpiam iis poſſumus, quorum familiaritas, aut aſtuta aſſentatio, aut ſcurrilis dicacitas, aut inanium quorumdam ſtudiorum ſimilitudo neceſſaria nobis ad beate vivendum videtur. Contra iſti numquam ſatis habere ſe putant, licet affluant divitiis; numquam contenti ſunt quaeſito; numquam tacent, donec in domum inferant quicquam: loquendi autem tempus arripiunt opportunius ad habendum.

§. CLXXXIX.

Sed ſatis ſcriptum eſt de iurium aequalitate: nunc dicendum eſt mihi de aequalitate libertatis. Nulla praeſtantior eſſe poteſt perſuaſio in civili ſocietate quam libertatis, ad quam animum omnium civium dirigere oportet (*a*), ne laedatur ius quod eſt naturae conſentaneum. Si aequali omnes contineantur imperio, eademque in omnibus ra-

(a) *Nihil in vobis imperatoribus*, aiebat Magno Theodoſio D. Ambroſius ep. XL. n. II., *tam populare & tam amabile eſt, quam libertatem in iis diligere, qui obſequio vobis ſubditi ſunt. Siquidem hoc intereſt inter bonos & malos Principes, quod boni libertatem ament, ſervitutem improbi.*

tione flagitiorum licentia coerceatur; ſi par omnes diſciplina devinciat, a ſoliſque legibus Princeps regatur, non a libidine, non a permotione aliqua; ſi leges aeque defendant ac tueantur divites & inopes, nobiles ac plebeios, ad eaſque tamquam ad ſacratiſſimam aram, ut Architas Tarentinus aiebat, oppreſſi quicumque ſint confugere poſſint; ſi demum hoc ſibi proponat publica adminiſtratio, ut eadem ſit utilitas uniuſcuiuſque & univerſorum: non carebunt, ut opinor, populi ea libertate, quam iuſtitia poſtulat, quaeque populos in expetitam tutioremque ſemitam introducit naturalis & politicae felicitatis.

§. CXC.

Remanet aequalitas, quae ad res externas refertur. Civilis ſocietas in tuto ponit dominia hominum privatorum, atque efficit ut tranquille omnes fruantur rebus propriis & ſuis. Securitas iſta aut vi, aut dolis & fraudibus tolli ac circumveniri poteſt. Nihil de violentia dicam, cui generatim leges criminales proſpiciunt. Ad fraudem quod pertinet, haec cernitur maxime in mutuis rerum permutationibus; eique occurrat Princeps praeſcriptionibus ſuis neceſſe eſt. Nimirum

regulae praeſiniendae ſunt circa pactorum obligationem & ſormam; eaque irrita facienda, quae iuri aliorum ſunt oppoſita, quae virtutes ſociales frangunt, aut occaſionem per ſe praebent, ut alicuius mors expetatur: paciſcentes denique eo adigendi, ut contrahere nequeant niſi honeſte, & abſque damno ſocietatis. Quumque homines aut ſe omnino contraxiſſe denegare poſſint, aut diverſam pactionis ſpeciem interdum ſe feciſſe teſtentur: hinc confirmanda ſunt pacta praeſidio teſtium aut ſcripturarum. Haec autem pactorum forma qualis quantaque eſſe debeat, ut certae ſit fidei, munus eſt Principis praefinire. Scio plurimos conventa quaepiam firma rataque habere, quotieſcumque iureiurando firmantur. At ſatius forte eſſet, aiunt aliqui, conſuetudinem hanc non admittere, ſi nondum obtinuit; abrogare quum obtinet, ne periuriis aperiatur via.

§. CXCI.

Non privati ſolum inter ſe, ſed Princeps ipſe inſenſus eſſe poteſt bonis privatorum aut arbitrariis quae fiſco fiant civium facultatum & opum addictionibus, aliiſque iniuriis generis eiuſdem, de quibus alii & explicatius

& pluribus diſputant; aut iniuſtis praeſcriptionibus tributorum, circa quas aliqua hic ſubnectere non inutilis operae pretium exiſtimo. Videat principio dux ſocietatis qui ſumtus neceſſarii ſint, ad eoſque efficiat, ut iuſta ſit proportio tributorum. Nihil deſit aulae & civitati: ſed cur exſuperabit vectigalis pecunia quae congeri non poſſit abſque iniuria & oppreſſione gentium ſubditarum? Caveat deinde ne vitioſe tributa diſpertiantur: quod quidem contingit, quum ea impluunt ordini civium pauperiorum, quum eorum perceptionem mali uſus inficiunt, quum circuitionem impediunt, & catenas nectunt artibus; denique quum difficiles reddunt actiones quaſvis, ob quas annua procreatio augetur.

§. CXCII.

Aetate hac noſtra literis exaratas habemus doctiſſimorum virorum ſententias de modo vectigalium imponendorum. Sunt qui velint ſolis praediis indictiones omnes eſſe imperandas: videtur enim ſimplicior atque perfectior ceteris iſta diſtribuendi vectigalis forma, quum pauperes a tributis liberet, & efficiat ut minima impenſa agatur in perce-

ptione tributorum, & regi inviolabilibus legibus poſſit; nec praeterea circuitionem tollat, nec frenis vinciat induſtriam, modo agris recens exercitis vectigalium immunitas annorum quorumdam ſpatio concedatur. Quamobrem ſi ratio iſta ſervetur indicendi tributi, nec iniuſta eius diſtributio eſt, nec vitiis ſcatet, quae ſupra recenſui (*a*). Praediis alii adiungunt merces, aedificia & foenera: iure enim & merito tributa pendere debent etiam mercium & aedium & foenerum poſſeſſores; quum non ſolum eorum perſonis communi ſit praeſidio ſocietas, ſed praeterea eorum bona tueatur: quod recens quidam auctor (*b*) acute explicat, & docet (*c*). Princeps itaque & iuſta populis tributa irroget, & diſtribuat recte: recta autem erit vectigalis diſtribuendi forma, quae ſimplicior eſt & accommodatior bono civi-

---

(a) Totus eſt in hoc loco explicando auctor Operis inſcripti: *Impoſte ſecondo l'ordine della Natura*.

(b) *Meditazioni ſulla Economia Politica* §. XXIX. & conſeqq.

(c) Utinam etiam vere explicaret! Vide aureum Opus *Le Commerce & le Gouvernement conſidérés relativement l'un à l'autre; par M. l'Abbé de Condillac* tom. I. chap. XXVIII.

tatis (*a*). Si ſecus faciat, iniurius eſt in bona privatorum.

§. CXCIII.

Ut autem iuſtitia vigeat in civitate, & bene ſapienterque adminiſtretur, neceſſarii ſunt ei qui rem publicam regit adminiſtri, conſiliarii, aliique qui iudiciaria poteſtate utantur, qua uti ſolus per ſe nequit (*b*). Adminiſtris & conſiliariis Princeps eget, ne quid umquam ſanciatur, cui non diligens conſultatio praefuerit. Alexander Severus auctore Lampridio (*c*) *nullam conſtitutionem ſancivit ſine viginti iuris peritis, & doctiſſimis ac ſapientibus viris iiſdemque diſertiſſimis non minus quinquaginta, ut non minus in conſilio eſſent ſententiae quam Senatus conſultum conficerent; & id quidem ita ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quod quiſque*

(a) Ad tributa quod attinet, curandum etiam a Principe eſt ut humaniter exigantur, quum violenta exactio gravius ipſo vectigali a ſubditis gentibus toleretur. Nihil poteſt eſſe deformius, nihil magis hominum iuribus exitiale ac perniciosum legibus, quae alicubi obtinent circa tributa exigenda.

(b) Forte nec convenit, ut ea utatur, quemadmodum docet Bodinus lib. IV. *De Repub.*: quod in cauſſis Maieſtatis & Fiſci extra aleam eſt dubitationis.

(c) In *Alexandro Severo*.

dixiſſet, *dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandumque priuſquam dicerent*, *ne incogitati dicere viderentur de rebus ingentibus*. Fieri poteſt ut errem, ſed ita prorſus exiſtimo minorem conſiliariorum numerum ad res fauſte ac proſpere conficiendas ſufficere Alexandro potuiſſe; quum falſum eſſe putem ibi magis a partium ſtudio deſciſci, ubi maiora de aliqua re ſuffragia ineuntur. In eo Imperatorem hunc ſummopere commendo, quod conſiliarios ſapientiſſimos elegerit. Quis a ſtolido niſi ſtoliditates expectet? Delectis adminiſtris & conſiliariis non ſemper omninoque fidat Princeps neceſſe eſt. Sicut enim lippitudine oculus, auris interdum ſurditate laborat; ita & vitia ſaepe innaſcuntur plurima in iis quos Perſae oculos & aures Regis appellabant, ut Xenophon tradit. Homines ſunt, nec humani eſt aliquid ab iis alienum. *Ego a patre meo audivi*, ait Aurelianus (*a*), *Diocletianum Principem iam privatum dixiſſe nihil eſſe difficilius quam bene imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinque*, *atque unum conſilium ad decipiendum Imperato-*

(a) Flavius Vopiſcus in *Aureliano apud Salmaſium*.

rem capiunt: dicunt quid probandum ſit. Imperator qui domi clauſus eſt (domi clauſum Principem intelligo, ſi vulgi ingenium populique mores ac vires neſciat, ſi omittat inveſtigare an ſint aliqui in ſuo munere negligentes, ſi non exquirat attentius quae ſint indigentiae civitatis) *vera non novit: cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet, amovet a republica, quos debebat obtinere.* O voces dignae quae numquam a Principum memoria deleantur! *O vere Principis . . . . omnia inviſere omnia audire* (*a*)!

§. CXCIV.

Iudicibus etiam opus eſt qui ius dicant, ſine quorum iuſtitia ac diligentia eſſe, aut beata eſſe civitas non poteſt. Eis autem cordi eſſe potiſſimum debet ut prompta & immutabilis ſit legum executio, & brevi quoad fieri poteſt acta forenſia conficiantur (*b*).

(a) *Traian. Panegir.* pag. 223.

(b) Veſpaſianus, ut Suetonius narrat, *quum litium ſeries ubique maiorem in modum excreviſſent, ipſe ſorte elegit, qui iudicia quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breviſſimum numerum:* quod cupiebat Plato lib. V. *De Legibus*. Apud gentes magni Mogolis imperio ſubditas non comperendinan-

Ex quo duo praeſertim commoda ſequuntur. Primum ne fruſtra in carcere aeternis tenebris & vinculis contabeſcant, qui utilem praeſtare operam poſſent ſocietati: alterum quia clementia quanto eſt virtus peridonea quam ſibi proponat qui leges fert; tanto eſt incongruens ſi eam iudices imitentur: nam mirum in modum a criminibus retrahit, ut iam dixi, immutabilis exſecutio poenarum. Haec dum ſcribo oblivifci malorum nequeo, quibus civitates pleraeque aetate etiam noſtra conflictantur. Ingemiſcit natura, & inflicta humanis iuribus vulnera lamentatur. Sed inveniet tandem, ut reor, eorum vindicem aliquem, niſi cimmeria quaedam nox humanioribus literis ac artibus & expultrici vitiorum Philoſophiae denuo offundatur. Quum autem fieri poſſit, ut iudices permotionibus indulgeant animorum, & temere

---

tur lites, nec ad quaeſtum & lucellum itur aut legum involucris, aut ſordibus advocatorum. An aeque felices Europaei omnes? Neſcio. Non omittenda tamen neceſſaria ad veritatem eruendam inveſtigatio. Quis non immitem & barbarum Weſtfaliae morem fateatur, ubi per annos quingentos ex ſecreta quadam notitia reus damnabatur capite, quin ulla eſſet iudicii formula ac ſollemnitas, aut reus ipſe interrogaretur?

agant; aut per calumniam, per iram, per ultionem, per invidiam in alios homines graſſentur; illud iuſtitiae convenit ut poenae indictae ſint pravo uſui iudiciariae poteſtatis. Id porro nullo umquam tempore continget, ſi quidem iudices parebunt legibus, quemadmodum cives parere iudicibus debent. Primus hanc veritatem Minos invenit; eam Lycurgus perfecit Lacedaemone. Utinam ubique ſervaretur!

CAPUT VI.

DE TEMPERANTIA.

§. CXCV.

Temperantiam hoc ſibi ſumere volunt, ut modum adhibeat voluptatibus, quae guſtu tactuque capiuntur. At ſi latius pateat, definiaturque auctore Plutharco (a) *contractio quaedam cupiditatum, & ordo perimens ſupervacaneas & adſcititias; tempeſtive autem & mediocriter cum decori ratione obſequens neceſſariis*: non eſt dubium quin ad publicas

(a) In *Grillo*.

virtutes pertineat, quae ſunt maxime neceſſariae civitati, ne tandem haec ſentiat calamitatem ſuam ob ſuſceptos morbos, quos reprimere & dimovere non poterit. Hinc ſcite praecipiebat Solon *ne quid nimis* ageretur; praecipueque laudantur Perſae, *apud quos ad temperantiam percipiendam pueri ipſi magno ſtudio docebantur: quam ut diligentius obſervarent, per diem actionibus puerorum ſeniores quoſdam probatiſſimos adeſſe iubebant, ut veriti eorum aſpectum modeſtia temperantiaque omnibus in rebus regerentur*, inquit Franciſcus Patricius (*a*).

§. CXCVI.

Temperantiae repugnat *luxus*, cui accuratam notionem adiungere neceſſe eſt: nec enim omnino fallitur Melonius, qui hanc vocem incertam & vagam vocat, nullaque diſtincta ac fixa idea praefinitam. Luxui, ſi ſtrictim loquaris, non alia reſpondet idea, niſi eius cuiuslibet, quod plane & omnino neceſſarium non eſt ad vitae conſervationem. Qui panno induitur, nec urſi potius, aut ovis pelle ſe obtegit, nec latus ſcabro fune cin-

(a) *De Inſtit. Rei publ.* lib. III. tit. I.

git; is dici poſſet luxus amator. Similiter ſi ita res ſe habet, pertinere ad luxum poſſent ſolae ipſae plumulae, quibus galeros ornant ſuos immites incolae Antillarum. At quum homines idcirco ſociale foedus pepigerint, ut viverent beate, nempe ut rebus non neceſſariis ſolum, ſed utilibus etiam & iucundis uterentur; non ſatis video quomodo haec una idea adiungi debeat luxui, quum reprehenditur aut laudatur a grege Philoſophorum. Ut conveniat igitur quid ſit id de quo diſſeritur; ego luxurioſum dico qui communi iudicio conſuetudines moreſque vivendi exquiſita nimis ratione ultra gradum & cenſum perficit ob libidinem eminendi ſupra reliquos qui aequales ſunt, aut imitandi emulandique eos, qui ſimul nobilitate & divitiis praecellunt. Luxum igitur in uſu rerum poſitum eſſe aio, qui omnium iudicio debet immodicus haberi: iis enim aliqui tantum fruuntur excluſis ceteris; quia ſunt huiuſmodi ut communes eſſe nequeant omnibus.

§. CXCVII.

Luxus e maxima inaequalitate divitiarum manat, nec umquam nimius eſt ubi aequalis ferme eſt inter cives diſtributio faculta-

tum. Quare eo augetur magis quo in paucorum manus divitiae congeruntur, & denique faſtigium tenet quum alii ditiſſimi ſunt, alii ſunt miſerrimi. Nec debet, nec poteſt tolli inaequalitas iſta bonorum, ut ſupra docui: num idcirco luxui non providebit ac conſulet adminiſtrator civitatis? Hoc non modo concedere, ſed omnino intelligere nequeunt, qui pluribus capitibus concludunt inſenſum eſſe luxum ſocietati. Principio conſiderant eam a luxu in ſolitudinem redigi. Et quamvis Antonio Genuenſi dent regiones barbaras ferme incolis deſtitui: attamen e duabus ſocietatibus, quarum altera a luxu contineat ipſa ſe, altera luxurioſas delicias foveat; illam incolis frequentiorem fore teſtantur. Quanto enim infelicium hominum exitio ſtetit, atque ſtat hac etiam aetate Aſiae, Americae, aliarumque regionum diſſitarum commercium! Sane ſi politica ſupputatio fieret nulla res ad Europam uſque pervenire comperiretur, e qua non innocens eorum ſanguis flueret, quos ambitio, avaritia, cupiditas immolarunt. Accedit a nimio luxu effici, ut facilior aperiatur via ad aes alienum contrahendum, cui perſolvendo, inquit ex Helvetio Gerdi-

lius, impar civitas eſt, niſi ſubditis gentibus duriſſima vectigalia imponantur: quod repugnat frequentiae incolarum.

§. CXCVIII.

Animadvertunt ſecundo nihil roboris ſocietati ſubeſſe, quae luxum amet: eius enim cives aut languent mollitie, aut indigentiis extenuantur. Revera ſilveſtres homines, qui ſoluti ac fluentes non ſunt, cernuntur ceteris robuſtiores: quod de Belgis Caeſar ſcripſit (*a*): *Horum omnium*, inquit, *fortiſſimi ſunt Belgae, propterea quod a cultu & humanitate provinciae longiſſime abſunt; minimeque ad eos mercatores ſaepe commeant, atque ea quae ad eſterminandos animos pertinent, important*. Praeterea, ut Folardus docet, idcirco praeſtare debet robore pauper aliqua ſocietas aliis ſocietatibus, quae luxum deperiant, quia ditiores in paupere, quam in locuplete ſocietate ſunt operarii homines cultoreſque agrorum.

§. CXCIX.

Animadvertunt tertio in luxurioſa ſocietate nullum eſſe locum virtuti: eo enim ſpe-

(a) Lib. I. *De Bello Gallico*.

ctat luxus ut luxurioſe viventium cupiditatibus ſatisfaciat, non ut conſulat neceſſitatibus eorum, qui ei turpiter ſerviunt: quod allata luxus definitio abunde confirmat. Putaſne fore ut vel unus nummulus e manibus luxurioſi hominis excideret, ſi quidem gratuita eſſet artificum & famulorum opera? Id ne credas. Igitur quibus benefacit luxum amans non voluntate benefacit, ſed neceſſitate quadam ſatisfaciendae cupiditatis. Praeterea immodicum illud ſtudium enitendi ſecernendique ſe ab aequalibus, illa libido contendendi cum primis, ſuſtinendaeque perſonae, quam divitiae nec fulciunt nec ornant; hoc etiam efficiunt ut domus in magno ære alieno ſaepe vacillet, & pauperibus quae ſunt ſuperflua denegentur. Quae quum ſint quomodo componi cum luxu ſocialis virtus poterit? Hinc vere ipſe Helvetius ſcripſit corrumpi mores ob luxum. Quamvis autem de religioſa quadam corruptione ſe loqui fateatur, quam minime repugnare cenſet bono ſocietatis: poterat tamen politicam etiam corruptionem intelligere, quam luxus excipit auctore Monteſquieu (*a*); quia luxui deditus ho-

(a) *Eſprit des Lois* liv. VII. ch. XI.

mo a privatis potius quam a ſocialibus affectionibus trahitur. Porro corruptis moribus ſive religioſam ſive politicam corruptionem velis, brevi collabitur ſocietas, ut Bielfeldus oſtendit (*a*), confirmarique ſimiliter poteſt Graecorum, Romanorum, Aſſyriorum, Perſarumque exemplis.

§. CC.

Tametſi haec veriſſima eſſe videantur; non deſunt tamen qui luxus patrocinium ſuſcipiant, quorum ego aliqua argumenta breviter attingam. Itaque aiunt intereſſe plurimum ſocietatis, ut pecunia circumeat, nec ſiſtat otioſa in ſcriniis avarorum: tunc enim civium fortunas exaequat & librat. Id autem ex luxu conſequitur. Non eſt igitur dubium quin conferat bono ſocietatis. Addunt in Ariſtocratia ubi rationibus ſumtuariis caveri ſolet ne quis patrimonium per luxum effundat, innumeros pauperes numerari. Cur ergo ex luxu manare egenorum indigentiae dicuntur? Immo illius praeſidio artes omnes tum patriae cum exteriores (*b*) calent ve-

(a) *Inſtit. Polit.* tom. II. c. XV. §. XXIII.

(b) Quid *neceſſariis* [illegible]bus cum luxu? Agraria ars, pecuaria, & ſi qua eſt huiuſmodi languent ac iacent omnino,

luti ac efferveſcunt: quo fit ut nulla ſit maior artificum copia, elegantiaque operum, quam apud ſocietates, quae luxurioſae ſunt, vel luxurioſas gentes commercio complectuntur. Accedit a luxu hominum otium quadam ratione excuti: brevi enim rem familiarem effunderent amatores luxus, niſi & veteres ſervare opes, & novas indipiſci ſtuderent. Deinde hoc etiam verum eſt tanto arctiori vinculo ſocialibus officiis faciundis eos adſtringi, quanto patent invidiae graviori ob opes & copias quibus affluunt, ut fuit Melonio animadverſum. Tandem privatum eſt malum quo non publica felicitas tangitur, ſi quasdam familias luxus cauſſa ſqualida egeſtas premat & opprimat: unius enim pauperies alios efficit locupletiores.

ſi luxus floreat. Quid *utilibus?* Conducatur mille aureorum mercede, aut muſicus quidam, aut ſaltator; interea que & iudici & literarum profeſſori & duci exercitus vix centum aurei concedantur: an non maioris quaeſtus ſpe allecti homines primas artes exercendas ſuſcipient, ſecundas negligent? Pleraeque etiam artium *voluptariarum* umbratiles ſunt, & artificum valetudinem tentant ac vitiant, hominesque ab amicis a patria ab omni officio retrahunt, ut Xenophon docuit *Dict. memorab.* lib. V. Haeccine luxus utilitas?

§. CCI.

Quum igitur alii luxum extollant, alii deprimant, quid aget civitas, ne ab iis quae vera ſunt, quaſi praeſtigiis quibuſdam & captionibus depellatur? Haec potiſſimum conſiderare neceſſe eſt. Ad luxum non pertinent res, quibus utimur, ut docet laudatus ſcriptor (*a*); modo ſint huiuſmodi ut iis uti ac frui omnes poſſint. Id enim poſtulat artium progreſſio, ob quam res ipſae communi tandem iudicio neceſſariae reputantur. Sic luxurioſae initio linteae veſtes, nunc neceſſariae: contra aurea ſuppellex initio luxurioſa; neceſſaria in nullum poſterum tempus.

§. CCII.

Si luxus contineatur uſu rerum, quarum artificium non viget in patria, neque incolarum induſtria conficit, ſed aliena; eaeque e longinquo veniant: abſtinendum eſt. Depauperantur enim & exhauriuntur civium theſauri; quum alio transferatur pecunia non reditura unde diſceſſit, & eo iaceant magis pretia rerum, quas civitas procreat, quanto eſt maius pretium alienarum. Huic malo oc-

(a) *Le Commerce & le Gouvernement &c.* t. I. c. XXVII.

currere forte poſſet commercium, cuius praeſidio & pecunia reflueret, & rerum genera commutarentur. Sed difficile eſt in primis, ſaepiſſimeque induci nequit aequipondium commercii iſtius. Facilius iſtud fieret ſi res e vicinis populis aſportarentur: facilior namque eſſet rerum permutatio. At ſi vinum ex. gr. quod mille iugerum fructus eſt cum pinnato textili commutetur, quod ab uno iugere gignitur; annon hic etiam irreperet luxus? An pertinere ad omnes poſſet uſus rerum iſtarum? Idem de iis dicito quae noſtra ſunt nec emuntur aliunde.

§. CCIII.

A luxu quicumque is ſit, non eſt dubium quin mores corrumpantur, licet utilitatem afferre poſſit aliquam civitati, ſi debita temperatio adhibeatur. Eam vero oſtendere ſequens ratiocinatio videtur. Ob mala quibus iamdudum premitur genus humanum tres eſſe cernimus conditiones hominum in omni ferme civitate. Alii habent quae ſunt ad uſus vitae neceſſaria; alii his deſtituuntur. Primos nec pauperes nec divites; iſtos pauperes appellamus. Eſt tertium hominum genus, qui non ſolum neceſſariis vitae, ſed

utilibus ac iucundis fruuntur: en divites, quibus nullae interdum divitiae ſuperſunt, ſi rationem habere volumus gradus eorum; interdum ſuperſunt aliquae, tametſi ratio iſthaec habeatur; eaeque *ſuperflui* nomine donantur. Hac ſuperflui ratione, quae privatorum hominum eſt propria, ad integram civitatem translata, ſubductiſque rationibus indigentiarum omnium communitatis; ſatis intelligitur reſiduam portionem per luxuriam effuſam manantemque in opifices & reliquos, qui ſibi victum laboribus quaerunt, nec nocere poſſe reipublicae, nec mores corrumpere, nec publicam evertere felicitatem. Nam luxus huiuſmodi vix componi poſſe videtur cum exquiſito illo vitae cultu, & cum libidine eminendi, de qua dictum eſt. Sed abſtracta nimis & generalia ſunt iſta; forte etiam falſa. Adhuc itaque rem evolvere & aliquanto latius explicare oportet.

§. CCIV.

Quotieſcumque procreationum commutatio inter diverſos populos hunc modum ſervat, ut quantitas dantis quantitati accipientis reſpondeat; eadem erit, ſi paria ſint cetera, ex utraque parte utilitas; nec ullum,

ſi quid video, obvenire incommodum poterit ſocietati. At ſi mille iugerum fructus neceſſarii ſint ad emendos fructus iugeri unius; certum eſt damnum. Ad res quod ſpectat quas vel procreat tellus ipſa quam incolimus, vel induſtria noſtra conficit, non aliena; utilitas quaedam haberi poteſt, ſed haberi etiam poteſt luxuria: ſic praecoces pauci fructus a viro divite ingenti pecunia empti inter luxurioſas res communi ſententia recenſerentur. Utinam vero hic ſiſteret divitum hominum luxus! Tunc enim funderentur eorum divitiae tamquam fimus pinguis in agros, qui in dies fierent feraciores. Similiter certum eſt tandem in agros effundi pecuniam, quae in ſuppellectilem, quae in commeatum, quae in monilia, quae in alia huius generis erogatur, ſi ad haec conficienda propriis artificibus utamur, qui eam ſingulatim agricolis reſtituunt ut vivant. Sed proxima non eſt in agros ipſos effuſio iſthaec divitiarum: nam locupletem initio artificem facit, qui paullatim luxurioſis commoditatibus fruitur. Uſus porro commoditatum iſtarum invidiam aut emulationem in iis excitat, qui eamdem in artificio dexteritatem non

ſine magno blandimento ſe habituros ſperant. Hinc ruſtici ut maius lucrum faciant, ab agris ad urbem convolant: quumque paucis bene proſpereque res ſuccedat; plerique miſerrimam vitam vivent. Augetur igitur egenorum numerus in urbe, ruri agricolae minuuntur. En quae fluere poſſint incommoda ex luxu operum quae artifices noſtri conficiunt.

§. CCV.

Si vero privatorum ratio habeatur, ſubdit idem auctor; diſtinguendae ſunt luxus ſpecies. Luxus rerum *futilium*, qui conſuetudinum libidini turpiſſime ſervit, novaque iugiter forma obtegitur; nullos habet expenſarum limites ob perpetuas cupiditates hominum, ex quibus perennis ac ridicula ea uſuum varietas & viciſſitudo exſiſtit. Et tamen res ipſae nullius ferme ſunt pretii niſi quum emuntur. Infeſta ergo haec luxuria eſt. Freni etiam iniiciendi ſunt *commoditatum* luxui, qui tanto augeri ſolet, quanto fiunt cives delicatiores. Ex quo ſimiliter fit ut avari ſimul & prodigi ii ſint, ut a ſola auri fame exſtimulentur, nihilque omittant eorum, quae ad parandam pecuniam ſunt

idonea, repugnent licet iuſtitiae & honeſtati. Hinc illa morum corruptio. Sequitur luxus *magnificentiae*, quem rationibus ſumtuariis temperare neceſſe eſt. Res quae huic luxui famulantur, ferme ſunt huiuſmodi, ut numquam omni pretio priventur, ut picturae, ut vaſa aurea, ut gemmae, ut alia his ſimilia. Nihilo ſecius hic quoque peccari poteſt, & ſaepiſſime peccatur; maxime ſi rebus utilibus magnificentiae gratia abutamur. Cur tanta famulorum turba ſtipatus incedis? Anne vides ad tui voluptatem & oſtentationem traducere te brachia, quae agriculturae, quae eſſent aliis artibus utiliſſima? Cur ruri ingentem pecuniae vim erogas in delicias minus utiles ac neceſſarias? Anne vides te agros adimere frumento ac aliis frugibus, quae hominum vitam ſuſtentant?

§. CCVI.

Nollem tamen, ut dum ſalvos incolumes opulentos populos ſuos Princeps efficit, dum commoditates proprietateſque vitae tuetur rationibus ſumtuariis exitialem luxuriam proſcribens, in turpiſſimam parſimoniam incideret, virtutemque adimeret, quae decorum ſervat in magnis ſumtibus, veram *Magnifi-*

centiam dico. Haec cum luxuria, de qua hactenus diſputavi, conſentire videtur ſi ſumtuoſam domum, ſi familiam, ſi ſuppellectilem, ſi convivia, ſi ſumtuoſas tantum veſtes intuearis, ut vulgus aſſolet. Intereſt tamen inter utramque, quod magnos ſumtus decoris gratia magnificus faciat ſervans modum, referenſque ad dignitatem ſuam & ad facultates & copias: luxurioſus autem pecuniam effundat & ærarium exhauriat praecellendi enitendique cauſſa, ut docui. Magnificus ea ſpectat quae utilitatem pariunt non ſibi ſolum, ſed communitati: contra luxurioſus omnia ad voluptatem, ad oſtentationem facit. Magnificentia licet privatorum etiam, quibus maxima eſt affluentia divitiarum, ſit propria; maxime tamen ad Principem pertinet (*a*), ut ſi Academias, Collegia & Gymnaſia excitet, ſi Bibliothecas ſcriptis omnibus refertas inſtruat, ſi conſtituat publicas domos, quibus perfugium infirmis pateat, aut aliis magnificentiae monimentis det operam, quae honeſtant, exornantque civitatem, & opportunitates habent maximas ad ingenia

(a) Vide Ariſt. *Ethic.* lib. IV.

excitanda, impellendoſque homines ad praeclara gerenda, ut nominis immortalitatem conſequantur. Servanda tamen & a privato quolibet & a Principe ratio calamitatum publicarum, quibus conſulendum eſt, antequam ſplendidis ſumtibus argumenta magnificentiae relinquant.

CAPUT VII.

DE LABORIS PATIENTIA.

§. CCVII.

Quam neceſſaria civibus laborum patientia ſit, compertum cuique eſſe poteſt: quandoquidem quotidianae incidunt cauſſae tolerandi labores, qui ad ſalutem cum ſuam, cum rei publicae referuntur. Sive publicis fungaris muneribus, ſive privatam & umbratilem vitam degas; aſpera & dura & incommoda quammulta perferenda tibi ſunt: ſecus nec ſuſceptam provinciam cum emolumento & fructu adminiſtrabis, nec actuoſam operoſamque vitam diliges: ex quo omnis manabit contemtus officiorum. Certe iniurius eſt in humanam ſocietatem, qui otio dedit ſe, tur-

pique inertia delectatur; eamque praeterea odiſſe videtur, quum nullam operam ad aliorum hominum utilitatem conferat, nec bene de aliis mereatur. Huic malo obviam ire ſibi viſi ſunt antiqui ſapientes moderatores Civitatis, quum adoleſcentes a prima aetate ad corporis firmitatem & ad labores ſuſtinendos inſtitui curarunt. Intelligebant enim conſuetudinem laborum a teneris unguiculis coeptam, perpeſſionem laborum in reliqua vita efficere debere faciliorem. Cretum quidem leges quas Minos ſanxit, laboribus erudiebant iuventutem venando, currendo, eſuriendo, ſitiendo, algendo, aeſtuando. Id ſimiliter Lycurgus voluit, & in ipſas feminas tranſtulit, quae ceteris in urbibus molliſſimo cultu parietum umbris occulebantur (*a*).

§. CCVIII.

Generatim patiens laboris populus erit, nec languori & otio deditus contabeſcet, ſi debitam omnibus occupationem iniungere noverit moderator rei publicae, curabitque ut agricultura, ut commercium, ut artes & ſcientiae floreant in civitate. In quo & di-

(a) Vide Cic. *Tuſc. diſp.* lib. II., & Ariſt. *Polit.* lib. VII. c. XVII.

verſum nationum ingenium ſpectandum eſt, & habenda ratio diverſitatis locorum quos populi incolunt. Si tellus verbi gratia ſterilis & culturae omnino inepta ſit, induſtria & artes vigeant oportet: ſi feraces ſint agri, ſi plantis, ſi herbis frugibuſque educendis ac ſovendis accommodati, nec hominum numerus huic foecunditati reſpondeat; agricultura in primis florere debet, qua ſocietas hominibus frequentatur, cetera. Ob quam cauſſam, inquit recens quidam ſcriptor, Athenienſibus literae olim in deliciis fuerunt, Carthaginienſibus & Tyriis commercium, Rhodiacis mare, Spartiatibus bellum, virtus Romanis. Quae quum ita ſint hunc ordinem in hac diſputatione tenere decrevi ut aliqua breviſſime attingam primo de agricultura, tum de commercio, tandem de artibus & ſcientiis: quae inducenda plus minus excolendaque ſunt ut populi otium fugiant, & ſpecie quadam laboris exerceantur.

§. CCIX.

Agricultura qua omnium rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil eſt melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius; quaeque ars ceteris excellen-

tior eſt, ut Amicus hominum animadvertit (*a*), quoniam ea neglecta nullus eſt noſtrae conſervationi locus; magno in honore apud Romanos fuit, eſtque aetate hac noſtra apud cultiſſimas gentes. Quinctius Cincinnatus ab aratro adductus eſt ut dictator eſſet: poſt adeptas autem victorias depoſitis faſcibus rurſus ad boves & agellum ſe contulit auctore Marco Tullio *De Senectute*. In hac vita ruſtica M. Curius quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumſit extremum tempus aetatis. Ad eamdem diſciplinam applicuit & C. Marius, qui ſepties conſul fuit, & victor pluries extitit. Omitto ceteros. Sinici Imperatores aevo etiam noſtro incredibili apparatu & pompa terram ineunte vere excolunt, ut alii excitentur ad imitandum: deinde ſtato tempore committunt terrae ſemina; quod ſimiliter proreges in omnibus regni illius provinciis faciunt (*b*). Et tamen nobiliſſima haec ars quae ſummum perfectionis veſtigium tenere aliquibus videtur, imperfectior forte eſt quam credi poteſt. Nam nihil ut dicam de agris

(a) Tom. I. c. III.

(b) *Hiſt. Phil. Polit.* t. I. p. CXXVI.

ingenioſis ad fructus, qui redigi in meliorem formam poſſent, ſi quidem melius excolerentur; ii etiam qui inculti & ſteriles ſunt, non carerent foecunditate, modo id vellet improba & patiens hominum induſtria. Videmus nullam ferme eſſe telluris partem quae herbae aut arboris alicuius procreatrix non ſit ipſa per ſe. Igitur quae eſt etiam magis impervia, aut culturae minus apta reputatur; ſudore & laboribus feracem fieri poſſe, non eſt quod dubitemus. Quapropter ſi tota telluris facies non excolitur, ſi tantum alicubi a perfectione ſua diſtat ars terrae exercendae; hominum incuſanda deſidia eſt, incuſandum vitium adminiſtrationis.

§. CCX.

Deſidiam illam excutere agrariis legibus debet rector civitatis, atque efficere ut illud terrae exercendae genus floreat quo potiſſimum primis naturae neceſſitatibus conſulitur, quo fructus percipiuntur uberiores, quo denique procreatrix agrorum vis non deficit. Praeſertim eos praemiis & donis alliciat (quod etiamnum in Imperio Sinenſi obtinet), qui verbi gratia telluris ſerendae ſubigendaeque rationem praeſtantiorem dete-

gunt, qui utiliores fimos inveniunt, aut magis accommodata ruſticis operibus inſtrumenta. *Non tamen urbano munere alliciendi ſunt*, inquit Franciſcus Patricius (*a*). *Agriculturam namque deſtituerent, & rem urbanam peſſime agerent. Fiunt ſiquidem acciti in Republica ſeditioſi ac turbulenti & divites fieri quamprimum cupiunt, ſtatumque optimorum civium peſſumdant. Proinde ut utiles admodum in praediis colendis arbitror, ſic in tractandis rebus urbanis deterrimos*. Pauca haec de agricultura: nunc de commercio.

§. CCXI.

Commercium tunc ferme eſſe coepit quum eſſe aut multiplicari homines coeperunt. Dederunt enim commutationibus locum ipſae hominum indigentiae; & praeterea artes variae quae ab ineunte, ut ita dicam, humani generis aetate prodierunt, rerum permutationibus innitebantur. Aucto deinde magis magiſque hominum numero, poſtquam ii ad civilem conſociationem defluxerunt, & ſtatuto fixoque bonorum dominio, inaequalis diſtributio facultatum, mercatorum copia, re-

(a) *De Inſtit. Reipub.* lib. I. tit. VII.

gionum diverſitas, induſtria & vanitas humanas indigentias auxerunt (*a*); tunc ſimiliter commercium excrevit. In eo autem ſitum eſſe arbitror commercium, ut id quod ſupervacuum nobis eſt in neceſſarium commutetur: quae quidem generalis commercii notio a quocumque admittitur, qui eius originem paullo attentius contempletur.

§. CCXII.

Multiſariam commercium dividitur. *Intimum* eſt, ſi contineatur permutationibus, quas incolae faciunt inter ſe: at ſi res permutentur cum alienis, *externum*. Quum natio quaepiam alio transfert quod ei eſt ſuperfluum, *activum* eius commercium dicitur; *paſſivum*, ſi ea accipit aut dat, quin exportet aliquid. Commercium ita praefinitum ut circa ſolas indigentias vitaeque commoditates verſetur, *neceſſarium* appellant, initum animo lucri faciundi divitiarumque indipiſcendarum, *luxurioſum*. Tandem ſi ſumantur alicubi res venales & alio exportentur ut nauli lucrum

(a) En diſſita forte initia non arctioris ſolum ſocietatis coniunctioniſque hominum inter ſe, ſed inventae etiam monetae ut facilius & communius mercium pretia aeſtimarentur.

fiat, *oeconomicum* commercium vocant. Ii itaque qui publice praeſunt ut commercii vim tueantur & augeant, multiplicem eius rationem conſiderare diligenter debent, eius praeterea cauſſas, induſtriae & operarum pretia, intimos exterioreſque civitatis reſpectus, probabilitates & caſus, ex quibus maximae alicuius fortunae emolumenta aliquando colliguntur, deſideria & indigentias vicinorum, aliaque generis eiuſdem. Quid enim apertius ad hanc rem quod attinet, quam mala innumera ex perexiguo errore proficiſci?

§. CCXIII.

Duo ſunt praecipua fundamenta commercii, *ſecuritas* nempe & *libertas*, quam adeo Colbertus commendabat. Si tutum illud ſit, magna quaeque aggredietur: ſi liberum, latior erit in dies & actuoſior induſtria. Leges autem quae circa commercium verſantur efficiant neceſſe eſt, ne privati cuiuſpiam aviditas publicae induſtriae vim reprimat, & ne mala hominum fides ac dolus commercii ordinem & ſanctimoniam turbent. Ex his ſequitur irrogata alicui privilegia, quae omnes alios amovent a venditione aut emtione rerum, ſimiliterque tributa quae gyrum intimi

commercii impediunt tamquam monſtra politica eſſe habenda; niſi aliter publica felicitas ſuadeat. Sed iam ab hoc loco contineo memet, ne quum de commercio diſputo, quatenus occupatio utilis & maxima eſſe poteſt civium, ad eas res delabar quae ſunt ab inſtituto alienae.

§. CCXIV.

Ventum eſt ad artes & ſcientias. Uſu bonorum phyſicorum & moralium humana felicitas continetur: quod explicavi libro primo. At quis frui umquam bonis iſtis poteſt, hominem ratione praeditum ut decet, niſi haec prius cognoſcat? Circumſtat nos turba opinionum praeiudicatarum, quae ita mentem & cor ipſum inficiunt ac contaminant, ut etiam quum pravae ideae, pravaeque affectiones animo inſident, ad ſapientiam, temperantiamque nobis perveniſſe videamur. Arctiſſimi praeterea humanae mentis limites hoc idem ſaepiſſime efficiunt; errorique ob hanc praecipuam cauſſam ſervimus, quod iis tenebris obducta ſit veritas, quibus extricandis ne cogitamus quidem, quum tenebras ipſas ignoremus. An non igitur excolenda perpoliendaque ratio eſt ut vera a falſis digno-

ſcantur, nec pravarum opinionum, aut errorum praeſtigiis decepti a nanciſcenda felicitate removeamur? Scientiae porro vel *neceſſariae*, vel *utiles*, vel *voluptuariae* ſunt. Primae circa indigentias & officia omnibus hominibus communia verſantur; iiſque neglectis nullus eſt locus felicitati. Utiles eas voco, quarum praeſidio cognoſci poteſt quid peculiaris ſocietas, in qua vivimus, poſtulet, quid procreet ea telluris pars quam incolimus, quid aliis ſocietatibus debeamus: quorum quidem magna item eſt cum communi felicitate coniunctio. Voluptuariae utilitatem aliquando & emolumentum quodpiam afferunt, ſaepe non afferunt. Sic diviſis ſcientiis facile eſt animadvertere non eadem neceſſitate aeque omnes ſocietates premi, ut iiſdem attentam iugemque operam homines navent; nec ſcientias omnes eodem amore eademque ratione eſſe complectendas. Videat igitur rector civitatis quae ſint opportuniores, ne difluant otio populi, ut earum cultum ſervata proportione excitet & adiuvet. Quaerere, ut ſolebant Graeci, quot fuerint Ulyſſis remiges, indagare ſolertius an Iliadem & Odyſſeam Homerus ſcripſerit, con-

cludere quadraginta & octo argumentis, ut lepido capiti placuit, tria tantum lilia non plura eſſe a Gallico ſtemmate exhibenda; eaque interea omittere quae ſunt ad cultum vitae & ad communem omnium utilitatem neceſſaria; in malis iſtud eſt, recte diceret Seneca, in bonis non eſt. Studia huius generis vix ampla Monarchia patitur, in qua frequens eſt natio hominum ocioſorum, qui otii moleſtiam in aliorum perniciem converterent, niſi alicuius inutilis etiam ſcientiae ſtudiis diſtinerentur.

§. CCXV.

Facultas illa ſentiendi qua praediti ſumus, quaeque ex copulatione humanae mentis cum corpore exiſtit; varium hinc manans ingenium hominum & propenſio multiplex uſum exigunt voluptatum etiam phyſicarum, quae non ſint averſae a ratione, nec ab officio diſcedant. Sed impediunt plurima tum foris, tum intus, ne iis fruamur. Maximi calores, vehementia frigora, anni temporum inſtabilitas, ferocia belluarum, portentoſus furor ignis, agrorum ſterilitas, aqua, procellae, fames, ſitis, nudum corpus, & alia generis eiuſdem ſatis ſuperque earum indigentia-

rum nos admonent, quae artium & induſtriae neceſſitatem apertiſſime declarant. Quae igitur eſſet beata hominum vita in terris, niſi artes colerentur? Artium porro eadem eſt diviſio ac ſcientiarum, eademque pertinent ad ducem reipublicae praecepta: quod etiam colligitur ex iis quae de agricultura & luxu diſputavi.

§. CCXVI.

Recens quidam nec indoctus Philoſophus corrumpi hominum mores a ſcientiis & artibus arbitratur, idque pluribus argumentis confirmat quae exponere neceſſe eſt, ut qui artes & ſcientias commendavi, has etiam ab inuſta labe falſoque obiecto crimine vindicem ac tuear. Vult itaque integritatem morum evanuiſſe pro ut vel ſe viſendas artes ſcientiaeque praebuere, vel progredi coeperunt. Sic robur amiſit ſuum, turpiſſimoque iugo colla ſubiecit Graecia paullo poſt progreſſum artium & ſcientiarum. Roma Terentii aetate ab avita virtute deſciſcere aliquantulum coepit. At poſt Ovidios, poſt Catullos, poſt Martiales, alioſque huiuſmodi Roma olim virtutis templum, repente ſcelerum theatrum facta eſt, nationum opprobrium,

ludus gentium barbararum ; eamque tandem ſervitutem ipſa ſerviit, in quam nationes alias addixit (tota reclamante ac refugiente natura). In Sinenſi Imperio, ut praeterita omittantur, magno in honore ſcientiae & artes habentur: illic autem nullum eſt facinus, nullum ſcelus, quod familiare non ſit. Contra gentes, in quas nec artium, nec ſcientiarum permanavit contagio, invidendae beatitatis participes cernuntur: ut Perſae, ut Scythae, ut Germani, ut Romani ipſi quum ſimplicem vivebant vitam expertemque literarum ; ut ſylveſtres quidam Americae populi, quorum vivendi morem praefert Montagnius Platonis legibus, & inventis omnibus quae ad rectam gentium moderationem excogitare poteſt Philoſophia.

§. CCXVII.

Haec omnia illud unum confirmant, ſi quid cerno, ſcientiarum & artium abuſionem ad honeſtos mores evertendos plurimum conferre: quod nemini ignotum eſt. Atque ob hanc cauſſam admonui Principem, ut earum cultum non ſine ſalubri temperatione excitet & adiuvet. Quamquam dici etiam poteſt non ex uno ſcientiarum & artium ortu ac pro-

greſſu, ſed ex complexione rerum infinitarum (*a*) corruptionem morum everſionemque civitatum manaviſſe; iccircoque ſolas ſcientias & artes iniuria incuſari. Quae porro erat Gentium illarum felicitas, quae in exemplum adducuntur? Veteribus Perſis ſollemnis fuit Rollino teſte honeſtatis omnis legumque naturalium contemtus. Sacerdotis dignitas natis ex filii copulatione cum matre apud ipſos concedebatur; licebat inceſtus, licebat flammis infantulos conſignare, flammaſque ipſas religioſe venerari. Herodoto, & Straboni immanes & truces Scythae ſunt; Pomponio Mela Germani barbari & iniuſti. Literarum vero expers Philoſophiaeque ignarus Populus Romanus & gentes ceteras vexare crudeliter atque ad nutum ſuum fingere ſolebat, & ubique mortem terroremque afferre; ita ut ſceleribus & delictis tota referta ſit primigenia Romani aevi hiſtoria. Haeccine eximia illa virtutis & honeſtatis exempla? Sed nulla eſt tam mala cauſſa quae patronos non inveniat.

(a) Quid ſi dicerem veteres illas ſcientias morum corruptionem peperiſſe, vel quia imperfectae, vel quia magna ex parte inutiles, vel quia errorum ac ſuperſtitionis tenebris circumſeptae?

§. CCXVIII.

Pergit tamen oſor diſertiſſimus artium & ſcientiarum. Scientiae otii deſidiaeque altrices ſunt, abſorbentque tempus quanti vis pretii. Eas neceſſariorum officiorum oblivio comitatur. Quid enim proſunt communi omnium bono inventa Philoſophorum? Eſto eruditas ii cudant de planetis, de gravitate, de vi electrica diſſertationes: quum haec ignorabimus num numerus erimus & fruges conſumere nati? Contra quid haec ad rectam adminiſtrationem conferunt, ad patriae ſalutem, ad metum terroremque inimicorum? Utinam vero haec tantum incommoda ſequerentur! Sed Religioni bellum indicunt, ſed virtutem proſternunt omnem ſapientes viri, quum ſecernere ſe a populo ament & populi opiniones irrideant. Praeterea ab artibus numquam diſiungitur luxus, qui cum ingenuis gentium moribus, cum imperii diuturnitate ac robore componi non poteſt: a ſcientiis enervatur vis animi, belloque inepti homines redduntur. Sane idcirco a Graecorum Bibliothecis igne evertendis Gothi abſtinuerunt, ut Graeci librorum lectione diſtenti a bellicis muneribus abducerentur. Quae quum

ita eant eliminare oportet ſcientias & artes ab hominum ſocietate. Haec, aliaque multa ille qui adverſus ſcientias & artes ea ratione ſcripſiſſe mihi videtur, qua contra Epicureos ſcripſit Cicero, contra divitias Seneca.

§. CCXIX.

Artes & ſcientiae otium & deſidiam non alunt, ſed dignum honeſto homine laborem iniungunt. Numquid omnes aut agros colere, aut feras venari, aut captare piſces, aut mercaturam facere neceſſe eſt? Poſtquam aliquis patriae curam, miſerorum levamen, amicorum neceſſitates, & officia quae ad ipſum referuntur, ſuis temporibus diviſit; ſi quid nanciſcatur ocii, peccabit ne, ſi in ſcientias toto pectore incumbat? Me ad regni gubernacula patria advocat? inquit Ioannes de Caſtillon (a), oportet ut leges calleam, ut populi ingenium, vicinorum ſociorumque vires, negocia, utilitates cognoſcam. Commiſſum meae fidei militum praeſidium eſt? Non ignorabo qua diſciplina exercitentur, quomodo inſtruantur acies, quinam aptior ſit ad bellum locus, quae ſit temporis opportunitas

(a) *Diſcours ſur l'origine de l'inégalité parmi les hommes.*

ad pugnam, quae caſtrorum muniendorum ratio, quo pacto inimicae valli & foſſae circumductiones perrumpendae. Me ad navigationem & commercium reſtaurandum invitat? Navigia texenda mihi inſtruendaque ſunt, eaque per mare vehenda; lucroſiores eligendae merces, atque per commodas brevioreſque vias tranſportandae. Opem meam amicus aegrotans implorat; alter in quem quaeſtio inſtituta eſt, ut ei adſim efflagitat: hic fabricari vult, meque in conſilium adhibet; ille ut bonae ſpei adoleſcentem inſtituam & formem rogat? Quomodo haec exſequar omnia ſine praeſidio ſcientiarum? Harum igitur otium & miſeris & amicis & patriae & omnibus prodeſt.

§. CCXX.

Nec ab ipſis ſcientiis neceſſaria oblivio officiorum fluit. Colere enim quis eloquentiam & Philoſophiam poteſt, & Romam interea ſapientiſſimis legibus gubernare. Poteſt ſpiralis lineae naturam meditari, & Syracuſas defendere. Poteſt ceteris diſciplinis intentum animum adiungere, eximiaque interea ſocialium virtutum exempla praebere. Funeſtum ne munus erit, inquit cl. Bordes, donata a

Deo hominibus ratiocinandi inveniendique vis? Ipſa ne virtus vanum erit ſimulacrum a coeco inſtinctu profectum, quod rationis accedente lumine ut ſplendeat magis, evaneſcere omnino debeat? Quae eſt iſta rationis & virtutis notio? Philoſophorum inventa quae utilitatem & emolumentum per ſe non afferunt, utilitate aliquando non carere ſuperius docui. Vetus porro in Philoſophos violatae religionis poſtulatio. Non abnuo fuiſſe aliquos qui a caſta Religione deſciverunt, quorum quotidie nomina audimus, ſententias legimus, monumenta tanto cum dolore cernimus. Sed literatorum vitium eſt quod eſſe dicitur literarum. Non tamen omni Religione carere putandi ii ſunt, dum ſuperſtitionem a Religione ſecernunt, dum phyſicas veritates populis ignotas detegunt, dum ridiculas & pravas quaſdam muliercularum & rudis popelli de Religione opiniones irrident. Secus incredulorum infinitus eſt numerus. O magiſtra rerum hiſtoria, quanta luce hunc locum colluſtras (*a*)!

(a) Vide eruditiſſimum Libellum: *Il letterato buon Cittadino*, *Diſcorſo Filoſofico e Politico di S. A. il Signor Principe Don Luigi Gonzaga di Caſtiglione*. Quanto eſſet feli-

§. CCXXI.

Duo remanent, quae refellam. Luxus a divitiarum inaequalitate naſcitur, ut ſupra docui, licet immoderatas animi permotiones abuti artibus poſſe concedam. Certe artes plurimae imperium fulciunt, fortunarum inaequalitatem tollunt, & neceſſarium phyſicum parant. Quumque non omnes agricultura & bello occupentur, qui datum eſſet ceteris ut commode viverent, ſi a divitibus nulli ſumtus fierent, aut ſpecierum circulatio iis vetaretur qui ſe & familiam manuum ſuarum operibus ſuſtentant? Quod ſi voluptuariae quaedam artes luxum alunt ac fovent; temperandae eae ſunt ne noceant. Vide quae de luxu & artibus diſputavi. Infirmus eſt etiam locus poſtremus. Concedi enim poſſet enervari a ſcientiis animi robur, ſi milites quotquot ſunt, ſcientiis navarent operam, eorumque duces totidem eſſent Maupertuiſii, Leibnitii, Newtoni, & alii generis eiuſdem. Sed aliter ſe res habet. Quamquam plena eſt hiſtoria eruditorum hominum, qui bellicis lau-

---

cior ſocietas ſi nobiles viri, ſi omnes qui dignitate fulgent aliqua excelſi piique huius Principis virtutes imitatione conſequerentur!

dibus praeſtiterunt. Architas Tarentinus ſexies exercitum duxit: Socrates, Plato, Xenophon egregiam in bello ſuis civibus operam exhibuerunt. Pericles, Themiſtocles, Epaminondas Graeciam propugnaverunt: Romam Scipiones, Luculli, Fabii, Marcelli, aliique innumerabiles praeſtantes doctrinae ſtudiis. Dum florebant Iulii Caeſaris aevo literae, eumque laudibus extollebat Cicero, quod domuiſſet gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, evanuit ne militum virtus? Evanuit ne Ludovici XV., & anteceſſoris eius aetate? Numquid militum ſcientias ardoremque literarum conqueſti ſunt duo illa lumina *Turenne*, & *Condé?* Nec evaneſcit nitenti hoc ſaeculo noſtro: videmus enim quotidie bella minus frequentia ſed aequiora, minus cruentas victorias ſed plenas gloriarum, minus rapidas imperii propagationes, ſed magis tutas, minus violentos bellatores, ſed magis terribiles. Atqui iam ſatis de artibus & ſcientiis prout in mores influunt, dixi. Dies me deficeret, ſi refellere omnia inſtituerem quae ſcientiis & artibus a ſcriptore iſto opponuntur, cui & Cornelius Agrippa, & Montagnius, & Li-

lius Gyraldi iamdudum praeiverunt. Itaque nihil obſtat quominus dicamus magnam omnino vim magnumque momentum poſitum eſſe non ſolum in agricultura & commercio, ſed in reliquis artibus ac ſcientiis ad exercendos populos, efficiendumque ut patientes eius laboris ſint, qui plurimum confert ad beatam vitam civitatis.

§. CCXXII.

Sed generalia ſunt haec ad otium politicum remedia: ſpecialia videamus. Eſt triplex genus hominum impatiens laboris. Alii ſunt labori tolerando inepti, ut ſenes, ut ii quarum infirma & imbecilla valetudo eſt. Alii nec negocioſi eſſe volunt nec aliquid operis facere vel ob clarum avorum nomen, vel ob ſplendorem amiſſae dignitatis, vel ob aliam cauſſam huius generis, ex qua fit ut eos pudeat laboris. Alii demum qui nequeunt his cauſſis deſidiam ignaviamque praetexere, multum civitati afferunt moleſtiarum, utilitatis nihil; quod melius tueri ſe poſſe arbitrentur ſi ſtipem mendicent, quam ſi artem aliquam exerceant. Horum quanto maior eſt copia, tanto eſt certius vitium publicae adminiſtrationis: quod tolli poteſt, ſi ii ad la-

borem compellantur, aut efficiatur ſi renuant, ut exulent a civitate. *Inter ſeveriſſimas Draconis leges*, inquit Franciſcus Patricius (*a*), *illa etiam fuit ut ocii damnati capite punirentur. Quae quidem quamvis durior eſſe videtur* (medius fidius duriſſima), *& ab humanitate aliena; tamen ratione neutiquam caret. Otioſi enim & ignavi homines venenum civitatis ſunt. Proni ad libidinem fiunt, bonis invident, aliena appetunt, & denique ſeditioſi & turbulenti evadunt; adeo ut peſſime cum illis agatur.*

§. CCXXIII.

Praetermittenda tamen non ſunt ab eo qui publice praeeſt prima illa duo genera hominum ocioſorum. Certe qui aut per aetatem, aut per valetudinem aliquid operis facere prohibentur, digni ſunt quibus Princeps omnem curam impendat, ut congrua ſuſtentatione non careant, ſi ſint pauperes. Similiter ab adverſa fortuna ad mendicitatem adducti mereri videntur ut iis conſulat: adeoque honeſtum & laudabile eſſet, ſi levandis aerumnis quibus premuntur fixa & publica remedia ſtatuerentur. Ceterum huiuſmodi eſt indoles artium plurimarum, de quibus di-

(a) *De Inſtit. Reipub.* lib. I. tit. VIII.

cam infra, ut eas exercere poſſint honeſto etiam loco nati, modo velint. Sic pictura, ſic graphidis ſcientia, ſic architectura, ſic tornus, ſic aliae artes nobilibus etiam viris conveniunt. Convenirent vero multo plures ſi praeiudicatas opiniones quaſdam evellere Princeps ſtuderet, nihilque omitteret in adminiſtranda republica, quo ad eas exercendas excitari poſſunt, maxime qui miſeriis conflictantur. Si praemia decernerentur aliqua iis, qui clari licet natalibus, nihilo ſecius aut mercaturae, aut commercio, aut artibus quibuſdam dant operam ne miſeri ſint; tollerentur ocyus, niſi me mea fallit opinio, peſtilentiſſima haec detrimenta opinionum praeiudicatarum (*a*).

CAPUT VIII.

DE GLORIAE AMORE.

§. CCXXIV.

Appetentiſſimi omnes ſumus frequentis famae cum laude, ideſt gloriae, ut eam Tullius definit (*b*); huiuſque ſtudio omnes tra-

(a) *Lezioni d'Economía Civile* p. p. c. XIII.

(b) Lib. II. *de Invent.*

himur. Illi ipſi Philoſophi etiam in illis libellis, ſubdit idem Cicero (*a*), quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, & in eo ipſo, in quo praedicationem nobilitatemque deſpiciunt, praedicari ſe ac nominari volunt. Ab ea tamquam a ſtimulo a natura dato ad ſtudium artium & diſciplinarum impellimur, ad fugam inertiae, ad patientiam laborum, ad contemtum abiectionis, ad res quaſvis praeclare gerendas. *Dat gloria vires*. Hinc magnos viros omni aetate peperiſſe vehementem hunc gloriae amorem, is ſolus negabit, qui intimos humani cordis receſſus, & geſta ignorat hominum clariſſimorum. Nec aliter habere ſe res poteſt, ſi ſtudii gloriae originem, quae ceteris affectionibus communis eſt, ope ἀναλύσεως inveſtigemus. Dum gloriam dico, non temerariam atque inconſideratam, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatricem famam popularem intelligo, quae ſimulatione honeſtatis formam verae gloriae pulchritudinemque corrumpit; ſed eam quae refertur ad honeſtatem, quae ambitionis eſt inimica,

(a) *Pro Archia Poeta*.

quae ſtudet communi bono, quae alios inflammat ad virtutem, eique reſonat tamquam imago. Hac delectari ac geſtire civitas debet, hancque quaſi terrenam mercedem rerum geſtarum deſiderare. Finge iacere gloriae nomen, eiuſque lucem ſplendoremque deficere; finge evileſcere veluti meritum, parvique virtutem duci; finge cives nullo deſiderio tangi publicae felicitatis: iam brevi eo progredientur omnes ut nihil faciant; & otio ac oblectamentis dediti divino vitae munere abutentur ad legum omnium contemtionem.

§. CCXXV.

Duo maxime gloriae ſtudium excitare poſſunt, *educatio*, & *praemia*. Bonos educatio cives facit & aptos utileſque reddit ſocietati: haec bonos & utiles fovent, conſervant, amplificant. Prima vigilantiſſimi Principis eſt, ut Plato, & Ariſtoteles ſcribunt (*a*): ſunt haec munificentiſſimi. Inſcitia doctrinarum utilia principia detorquet ac vitiat, & progreſſibus cognitionum, quos vix poſſumus optare, moram iamdudum iniecit. Eam ſocietatis peſtem, & publicorum omnium

(a) Dial. VII. *De Repub.* & VIII. *Polit.* c. I.

malorum fontem M. Aurelius vocat, quod ex ipſa perverſitates & delicta quaeque exiſtere arbitretur, non privatorum hominum tantum, ſed civitatis. Eam eiicere, expellere, exterminare munus eſt unius educationis, quae omnia poteſt, & quaſi ſemen & radix eſt idearum, opinionum, habituum, affectionum, quae omnes vitae aetates comitantur. Non ſum ego ita demens, ut velim pro tribunali agere, & prolixa oratione complecti quidquid munus poſtulat optimae inſtitutionis. Pleni ſunt libri Philoſophorum talia docentium. Praeterea tanta cernitur educationis cum legibus ac publica adminiſtratione coniunctio, ut ubi optimae ſunt leges, ubi perfectior eſt rei publicae adminiſtrandae ratio; ibi etiam ſit perfectior inſtitutio. Ex quo conſequitur ut nulla eſſe poſſit quaeſtio de inſtauranda educatione, quin ſimul ſit de inſtauratione legum, & emendatione publicae adminiſtrationis. Egone homuncio periculoſae plenum aleae hoc opus tractabo? Satis mihi erit infelicia tot inſtitutionum etiam publicarum vitia apud extraneas ſocietates deprehendenti, non ſine ingenti moerore perpetua hominum infortunia lamentari.

§. CCXXVI.

Graviſſimum itaque munus Principis eſt eniti, ut optime conſulatur adoleſcentum diſciplinae atque educationi. Adhibenda principio cura eſt ut privata etiam inſtitutio ad communem praeſertim ſalutem utilitatemque referatur. Multo eſt maior parentum incuria quam credi poteſt: quo fit in pueris ita altas agere radices vitia, ut nullo umquam tempore evellantur. Hunc morbum praecavere Princeps debet, aut ei, ſi iam obtinuit, medicinam afferre. Brevi & facili, & ad omnium captum accommodato libello ſpargi inſtar κατήχησεως in vulgus poſſent praecepta, quae ad phyſicam & moralem educationem faciunt, & magis obvia ac familiaria utriuſque vitia animadvertunt. Hunc eſſe in omnium manibus, aut ſaltem ad omnes ea pertinere quae continet oporteret. Qui hinc uberrimi iucundiſſimique fructus exſiſterent! Publica educatio aeque ac privata circa vires corporis; & circa cultum mentis & cordis verſatur. Augentur confirmanturque corporis vires laborioſis exercitationibus, ut pluries docui, quibus magis efficimur idonei ad explicandas facultates animi

depellendamque inimicam diſciplinis & artibus ignaviam. Hinc Bion delicatulum adoleſcentem renuit erudire: *non enim poſſibile eſt*, inquit, *mollem caſeum hamo attrahere* (*a*). Hinc magis ſtupidos eos Africae populos eſſe ſcimus, qui minus ſunt laborioſi. Accedit eos qui molliter effeminateque aluntur, innumeris permotionibus animi ac cupiditatibus indulgere, quibus temperandis ſatis non eſt una matris aut praeceptoris obiurgatio. Ob hanc cauſſam ſilveſtres novae Franciae homines perpetuis piſcationis ac venatus laboribus detenti, vix a venere rapiuntur. Laborioſae itaque exercitationes, quae modum teneant, a publica educatione divelli ablegarique non poſſunt.

§. CCXXVII.

Huc praeſertim appellere animum neceſſe eſt, ut ratio adoleſcentum colatur, iique ad honeſtam conſuetudinem & ad optimos mores inſtituantur. Publica domicilia ponere, Academias, Bibliothecas, completiſſima Athenaea, quibus in ſcientiis & diſciplinis iuventus erudiatur, & fructus omnes explicet; ſatis non eſt ad eam roborandam contra cor-

(a) Apud Laertium lib. IV. c. VII.

ruptelam pravarum opinionum, ad excitandam, ut decet, ad honeſtum amorem gloriae, ad incendendam ſtudio publicae utilitatis. In id incumbere oportet ut ſapientes in primis, iidemque honeſti ac probi profeſſores & duces praeficiantur iuvenibus, qui nullam praetermittant viam, quae ad auditorum progreſſionem in diſciplinis ac virtute opportuna videtur. Tales habebit Princeps populos, quales eos educatio praeparabit (*a*). Quare ſi intereſt ſummopere civitatis ut doctrina & optimis moribus exculti cives ſint, id ab optima educatione expectandum. Sunt qui in ſcientiis nihil proficiunt, non culpa Praeceptorum, ſed ſua. Quid igitur publicas ſcholas frequentat ſtudiis literarum ferme ineptus adoleſcens rudis abiectus ſervilis, ſaepe etiam petulans ſuperbus & contumax? Cur ducitur invitus aſpereque compellitur, ut illuc eat quo non vult? Admonere eum & increpare oportet, & tandem nihil proficientem dimittere. Eat ad quaeſtuoſam mercaturam, eat ad lapicidinam, ad fullonicam, ad textrinam, ad lanificium, eat ad offici-

(a) Id in animum induxerat ſuum Petrus I., ſub cuius imperio magna illa totius Ruſſiae facta commutatio.

nam aliquam, ut illa incommoda toleret quae ſunt neceſſaria, ne irrita & inanis parentum ſpes ſit, aut ne a boni civis officiis diſcedat. Et tamen referta ſunt Gymnaſia adoleſcentibus, qui & literas & literatos homines oderunt (*a*). Hinc illae lacrimae ſocietatis! Porro non ſolum literis imbuenda iuventus eſt: ſed commoda paranda ſunt multa ut etiam in artibus eadem facilitate erudiatur: quod ferme negligi ſolet in iis ipſis locis, ubi locupletantur & adiuvantur literae. Huc etiam nolentes aliquando compellere oporteret, puniendique eſſent parentes ſine ulla indulgentia ac remiſſione ſeveritatis, ſi pueros forte haberent nec literis excultos, nec ulla utili arte imbutos (*b*).

§. CCXXVIII.

Inflammantur etiam animi ad gloriae amorem propoſitis praemiis. Duo numina in primis veneranda in republica Democritus aſſe-

---

(a) Forte ſtudium non modo non odiſſent pueri, ſed amarent eoque delectarentur, ſi opportunior & magis amoena praemonſtraretur via, qua itur ad ſapientiam. Sed ſacrum id omne eſſe putatur, quod antiquitatem ſapit.

(b) Dum iuventutem optime inſtitutam volo, etiam puellas intelligo, quarum negligitur educatio non ſine detrimento ſocietatis.

ruit, ſine quibus nil iuſti aut boni eſt in civili ſocietate, *praemium* ſcilicet ac *poenam*. Sicut enim puniendi ſunt ii qui deliquerunt, ita optimos cives bene de civitate meritos muneribus honoribuſque decet honeſtare. Haec autem eſſe debet iuſta, ac fructuoſa praemii concedendi ratio, ut ſemper publicae virtuti reſpondeat, quae tanto eſt maior, quanto eſt utilior ſocietati, maiorique niſu ac contentione paratur (*a*). Vix dici poteſt quanta inſit vis in recta erogatione praemiorum. Haec ſunt ſolatia, haec fomenta moleſtiarum, quas ferre oportet, ut vita utiliter inſtituatur. Haec pellunt molle illud, demiſſum, enervatum quodam modo ac languidum, quod a laboribus nos retrahit. Haec valent, ut excelſi & alti, & difficultates deſpicientes homines ſint, ut exardeſcat ſtudium facinorum praeclarorum, & fiat ſemper progrediente aetate vehementius. Philippum, & Alexandrum Graecia olim habuit, Caeſarem, & Auguſtum Roma: habuit deinde Italia Iulium ſecundum, & Leonem decimum, habuerunt Carolum, & Ludovicum Anglia, & Gallia, qui veritatem hanc lu-

---

(a) Vide aureum Libellum *Delle Virtù e de' Premj*.

culentiſſime confirmant, exemploque eſſe poſſunt in omne poſterum tempus. Quae quum ita ſint quid magis publicae felicitati contrarium quam cives praemiis non allicere, aut iis indignos donare? Aeque languent omnes, faſtidioque incredibili capiuntur ſive praemia nulla ſint, ſive nimis, aſſentatoribus, amicis; non honeſtis viris, non ſtrenuis, non ornatis literis, non virtute praeditis tribuantur.

§. CCXXIX.

Dixi libro primo quae ſit Moralis diſciplina ſocietatis illius, qua conglutinamur omnes natura. Dixi hoc altero quae ea ſit adventitiae conſociationis. Nunc Ethica nationum ſubſequitur. Mutuae indigentiae quae hominem homini devinciunt, gentium etiam ſocietatem aliis gentibus iungunt. Hinc ſimilia exiſtunt officia, quae alius evolvet, non ego ne extra fines & terminos egrediar Philoſophiae. Ad me quod attinet quaeſivi ſatis, ut potui, explicavi, haeſi aliquando, mihi ipſe diffidens ſiſto.

FINIS.

INDEX.

Praeloquium. Pag. 1

DE MORALI DISCIPLINA HUMANAE SOCIETATIS

LIBER PRIMUS.

DE PRIMIGENIO ET NATURALI STATU HOMINUM.

CAPUT I. *Quo pacto conſiderare contemplarique hominem Philoſophus debeat, ut eius conditionem, & iura ex natura ipſa eruat.* 1

CAPUT II. *Pura & ſimplex hominis contemplatio eum patefacit appetentiſſimum felicitatis.* 6

CAPUT III. *Pura & ſimplex hominis contemplatio ſocialem primigeniam eius conditionem patefacit.* 11

CAPUT IV. *Cuius felicitatis capacem hominem efficiat ſocialis & primigenia eius conditio.* 25

CAPUT V. *Reiiciuntur argumenta I. Rouſſeau.* 30

CAPUT VI. *Eadem omnibus conveniunt iura in primigenia conditione.* 41

CAPUT VII. *Quae ſint generatim praecepta omnibus a natura, ſeu de mutuis officiis.* 62

Caput VIII. *De mutuis virtutibus generatim.* 84
Caput IX. *De mutuis officiis & virtutibus ſpeciatim.* 122

DE MORALI DISCIPLINA HUMANAE SOCIETATIS
LIBER SECUNDUS.
DE ADVENTITIA SOCIETATE.

Caput I. *De cauſſa ob quam homines a naturali ſocietate ad hanc alteram defluxerint.* 165
Caput II. *Quae ſint fundamenta legum adventitiae ſocietatis.* 179
Caput III. *De Principis officiis.* 195
Caput IV. *De Populorum officiis.* 211
Caput V. *De Iuſtitia maxime neceſſaria Civitati.* 216
Caput VI. *De Temperantia.* 234
Caput VII. *De Laboris patientia.* 249
Caput VIII. *De Gloriae amore.* 271

INDEX RERUM.

A.

Actio iniuſta quae ſit. §. LXIII. *Not.*
Adulatores a Principe fugiendi. §. CLXXII.
Adulterium vitium turpiſſimum. §. CXXXV.
Aequalitati rerum externarum quo pacto proſpiciendum. §. CXC.
Agrariae leges a Principe ferendae. §. CCX.
Agriculturae laudes. §. CCIX.
Amicitia quid ſit. §. XCIV.
vulgaris & perfecta. §. XCVI.
turpis & honeſta. §. C.
Amicitia quaevis ex utilitate exſiſtit. §§. XCVII.&conſeqq.
vera inter multos non datur. §. CIII. *Not.*
Amici non ſine maxima cura deligendi. §. CIV.
Amicum qui deligit quas cautiones ſervare debeat. §. CV.
Amicitiae officia. §. CVI.
Animus puerorum excolendus. §. CXIV.
Appetitio voluptatis homini naturalis. §. VI.
felicitatis ab inſtinctu differt. §. XI. *Not.*
Argumenta quibus probari ſolet ſocialis hominum ſtatus ſorte certa non ſunt. §§. XVII.& conſeqq.

B.

Baelius refellitur. §. CLXXVII.
Belluas an liceat occidere. §§. LXIV. & conſeqq.
Beneficentia & beneficium quid ſint. §. LXXXII.
Beneficéntia quomodo tribuenda. §§. LXXXIII. & conſ.

Benevolentia generalis virtus quae omnium virtutum formam induit. §. LXXX.
Bonum phyſicum quid ſit. §. VIII.
Bona moralia quae ſint. §. XXV. *Not.*

C

Calumnia prohibita. §. LXXII.
Caritas in ſuos quae ſit. §. XCIV. *Not.*
Cauſſa ob quam homines civile foedus pepigerunt. §. CXLIX.
Commercii origo. §. CCXI.
varíae ſpecies. §. CCXII.
fundamenta. §. CCXIII.
Communio feminarum prohibita. §§. CXXIX.&conſeqq.
Connubia in naturali ſocietate neceſſaria. §. CXXIX.
Connubii officia. §§. CXXXIV. & conſ.
Cor alienum depravare prohibitum. §. LXXVI.
Crimen quid ſit. §. CLIV. not.
Criminis qualitas poenarum parit qualitatem. §. CLVI.
Criminis quantitas qua ratione metienda. §. CLVII.

D

Damnum quid ſit. §. LXXVII.
Diſtributio inaequalis facultatum an ſocietati utilis. §. CLXXXVIII.
Dolor quid ſit. §. VII.
Dolor ideae. §. LXIII.
ſenſus. §. LXIII.
Diſcrepantia moralium opinionum unde naſcatur. Pag. 11. & conſ.
Dominium naturale. §. XLV.
Dotes an feminis concedendae. §. CLXXXVI.

E

Educationis ars in quo ſit poſita. §. cx.
Educatio puerorum mollis fugienda. §. cxiii.
Epicurus defenditur. §. xxv. Not.

F

Fallaciloquentia quae ſit. §. lxxiv.
Famam alienam lacerare vetitum. §. lxxii.
Faſciis non concludendi infantes. §. cxii.
Felicitatis abſtractum nomen unde exſiſtat. §. x.
Fides a Principe ſervanda. §. clxxv.
Filii debent parentibus pietatem. §. cxxiv.
gratiam. §. cxxv.
obedientiam. §. cxxvi.
Fuga doloris eſt homini naturalis. §. vi.
Furtum prohibitum. §. lxxi.

G

Generatio ſola ius parentum in filios non parit. §. cxix.
Generoſitas quid ſit. §. lxxxix.
Gloriae boni effectus. §. ccxxiv.
Gratia triplex. §. xc.
neceſſaria ſocietati. §. xc.

H

Hobbeſii ius in omnia refellitur. §. xlviii.
Hobbeſii ſententia de origine paterni iuris exploditur. §. cxx.
Homo ad ſocietatem factus eſt. §§. xiv. & conſeqq.
aetatis progreſſu cur debilitatus. §. xxii. Not.

Homo etiam ſilveſtris a voluptate & dolore movetur. §. XXIV.
Hoſpitalitas definitur. §. LXXXVII.
Humanitas quid ſit. §. LXXXI.

I

Ingrati qui ſint. §. XCI.
Inhoſpitales qui ſint. §. LXXXVIII.
Inhumanus qui ſit. §. LXXXI.
Inurbani qui ſint. §§. XCII. XCIII.
Iudices quomodo iuſtitiam debeant adminiſtrare. §. CXCIV.
Iura aequalitatis ſacra. §. LX.
Iura omnium aequalia in ſtatu naturae. §. LIII.
Iureiurando an firmanda ſint pacta. §. CXC.
Ius a potentia diſcriminatur. §§. LXVII. & conſeqq.
Ius quatenus eſt idea phyſica. §. XLI.
quatenus eſt idea moralis. §. XLII.
Ius quiſque habet, ne ei dolores ſenſus & ideae inferantur. §§. LXIX. & conſeqq.
Ius capite puniendi an reperiatur in civitate. §. CLX.
Ius gentium quid ſit. §. CCXXIX.
Ius natu maiorum quae pariat incommoda. §. CLXXXVII. *Not.*
Iuſtitia naturalis quae ſit. §. LXIII. *Not.*
Iuſtitiae munera in civitate. §. CLXXXIV.
Iuſtitiam qui adminiſtrent neceſſarii in ſocietate. §. CXCIII.

L

Laboris patientia neceſſaria. §. CCVII.
Latrocinia prohibita. §. LXXI.
Leges criminales quae dicantur. §. CLIV. *Not.*

Leges civiles quae dicantur. §. CLXVII. *Not.*
Leges nec multae ſint nec peregrinis litteris edicantur. §. CLXVII.
Leges maritales quas ſequimur an vituperandae. §. CLXXXV.
Legumlatrix poteſtas quae ſit. §. CXLVII.
Libertas naturalis. §. XLIII.
politica. §. CLI.
Libertatis aequalitas in quo ſit poſita. §. CLXXXIX.
Liberalitas quid ſit. §. LXXXII.
Luxus quid ſit. §. CXCVI.
quomodo conſiderandus. §§. CXCVII. & conſ.
Luxus boni effectus. §. CC.
Luxus rerum futilium. §. CCV.
commoditatum. §. CCV.
magnificentiae. §. CCV.

M

Malum morale. §. XXV. *Not.*
phyſicum. §. VIII.
Mala ſtatus naturalis quae fuerint. §. CXLIV.
Magnificentia quid ſit. §. LXXXIX.
cum luxu non confundenda. §. CCVI.
Mater nutrire prolem debet per ſe. §. CXI.
Matrimonium inire non omnes debent. §§. CXXXII. & conſ.
Mendacium quid ſit. §. LXXIII.
Mentem alienam depravare prohibitum. §. LXXVI.
Mundus moralis aeque ac phyſicus a tenera eius aetate nunc diverſus. §§. I. & conſeqq.

N

Natura quid ſit. §. XII. *Not.*
Naturae aequalitas & ſimilitudo. §. XL.
Notio prima boni & mali qualis ſit. §. IX.

O

Obedientia Legibus neceſſaria. §. CLXXX.
Obedientia erga Principem quos limites habeat. §. CLXXX.
Occidere alium non licet. §. LXIX.
Occupatio aliqua omnibus a Principe iniungenda. §. CCVIII.
Occupationum modi primigenii. §. XLV. *Not.*
Officium quid ſit. §. LXII.
Officia omnia unde manent. §. LXIII.
Officiorum obligatio duplex. §. CVII.
Officium quo pacto in virtutem convertatur. §. CXXVII.
Otio dediti peccant in benevolentiam erga alios. §. CXXX.
Otii politici remedia. §. CCXXII.

P

Pactum quid ſit. §. CXXXVII.
Pacti obligatio. §§. CXXXIX. & conſ.
Pactorum fraudibus a Principe occurrendum. §. CXC.
Parentes educare liberos debent. §. CIX.
Parentum in pueros poteſtas unde ſit. §§. CXVII. & conſ.
Parentes ius vitae & necis in filios non habent. §. CXXIII.
Percutere alium non licet. §. LXIX.
Perfidus qui ſit. §. CXLI.
Perfidorum hominum punitio in ſtatu naturae. §. CXLII.
Philoſophiae morum principia omnibus nota. Pag. I.
Philoſophorum quorumdam errata circa res morales. Pag. IV. & conſeqq.

Philoſophia morum Theologo neceſſaria. Pag. xi. & conſeqq.
Philoſophiae morum utilitas. Pag. xix. & conſeqq.
Philoſophia morum in quot partes tribuatur. Pag. xxiii.
Philoſophiae morum cancelli. Pag. xxv. & conſeqq.
Polygamia an licita iure naturae. §. cxxxi.
Poena qua ratione legibus adiicienda. §. clv.
Poena ultimi ſupplicii quando infligenda. §§. clxiii.
Populus colere Principem debet. §. clxxxi.
Populus benevolentiam Principi debet. §. clxxxi.
Praemia & educatio gloriae ſtudium excitant. §. ccxxv.
Principium cognoſcendi quae ſunt iuris naturae inutiliter a multis quaeſitum. §. lxiii. *Not.*
Princeps ea ediſcere debet quae ſui muneris ſunt. §§. clxix. & conſ.
Principis amor erga populos neceſſarius. §. clxxiv.
Principis munera circa ſcientias populorum. §. ccxiv.
Princeps eniti debet ut conſulatur educationi puerorum. §. ccxxvi.
Prodigus qui dicatur. §. lxxxiv.
Publica adminiſtratio publicam educationem perficit. §. ccxxv.
Puerorum ingenio quomodo conſulatur. §. cxv.
Puerorum cor quomodo perficiatur. §. cxvi.
Pufendorfius reprehenditur. §. cxxi.

R

Rabies quorumdam in morum Philoſophiam. Pag. x.
Rapina prohibita. §. lxxi.
Ratio adoleſcentum excolenda. §. ccxxvii.
Religio Principi in primis neceſſaria. §. clxxvi.
Religio quomodo a Principe colenda. §. clxxviii.

Religionis violatae poſtulatio in Philoſophos vetus. §. ccxx.
Religione divinitus patefacta quando uti moralis Philoſophus debeat. Pag. xxviii.
Reſtitutio quando facienda. §. lxxvii.
Rouſſeau refellitur. §§. xxvii. & conſ.

S

Sanctio quid ſit. §. cliv. *Not.*
Sapientum familiaritas neceſſaria Principi. §. clxxi.
Satisfactio quid ſit. §. lxxvii.
Scientiarum & artium neceſſitas. §§. ccxiv. & conſ.
Scientiae neceſſariae, utiles, voluptuariae. §. ccxiv.
Scientiae & artes vindicantur. §§. ccxvi. & conſ.
Scientiae etiam militum propriae. §. ccxx.
Scientiis ediſcendis impares e publicis ſcholis eliminandi. §. ccxxvii.
Scientiam Iuris Civilis praecedere debet morum Philoſophia. Pag. xv.
. . . . Iuris item Canonici & Publici, & hiſtoriam. Pag. xviii. & conſ.
Servitus eſt contra naturam. §. xliv.
Societas naturalis quae ſit. §. xxxvii.
Societatis civilis origo. §§. cxliii. & conſ.
Societas civilis quae ſit. §. cxlv.
Deum habet auctorem. §. cxlix.
Status naturalis qui ſit. §. iv. *Not.*
non eſt ſtatus belli. §§. xlviii. & conſ.
Superflui nomine quid intelligendum. §. cciii.

T

Temperantia politica quid ſit. §. cxcv.
Teſtamenti factio an concedenda. §. clxxxvii.
Tributa quomodo indicenda. §§. cxci. & conſeqq.

Tributa Principi ſolvenda. §. CLXXII.
Tutela naturalis quae ſit. §. LI.

V

Vires duae cernuntur in homine. §. XI.
Viro ſubeſſe debet mulier. §§. CXXXVIII.
Virtus ſocialis quid ſit. §. LXXIX.
Virtus a vi dicta iuxta alicuius ſententiam. §. LXXIX. *Not.*
Voluptas quid ſit. §. VII.
Urbani qui dicantur. §. XCII.
Vulnerare alium non licet. §. LXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE